



BOUSSUET
DE ARTE
MEDENDI











DE

RTE MEDENDI

LIBRI XII

Ex veterum & recentiorum Medicorum ſententia, omnibus Medicinæ ſtudioſis admodum vtiles,

AVTHORE

Franciſco Bouſſueto Surregiano doctore medico.



LVGDVNI,

Apud Matthiam Bonhomme,

M. D. LVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS AD DECENNIVM.

AD CANDIDVM LECTOREM TETRASTICHON.

Nos eme Lector, erit libro plus frugis in vno,
Vergilij tota quàm sit in Aeneïde,
Omnigenos etenim hîc morbos sanare docetur,
A summo capitis vertice ad vsque pede.




CHRISTIANISSIMO INVICTISSIMOQ; GALLORVM REGI HENRICO HVIVS NOminis secundo Franscifcus Bossuetus humilis seruus.



VT Mos cuique fuit quondam, diuersa vetustas
Sacrauit magnis munera sæpe dijs.
Auro aliqui, argento, & gemmis, sectóq; elephanto
Propitia optârunt numina adesse sibi.
Cinnama pars, & odorum aris thymiama ferebat,
Crebráque cum blanda iuncta querela prece est.
At tripodas, paterásque alij, & cratêras opimos,
Taliáque innumeris plura dedêre modis.
Sed mola inops salsa, atque fauo, vel lacte litabat,
Vt vis, & rerum copia cuique fuit.
Nos pectus, mentémque Deo, tibi verò laboris
Hoc nostri, REX ô magne, dicamus opus.



FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI IN SVOS DE arte medendi libros prȩludium, ad ſtudioſos bonarum artium amatores.





VM varias olim in partes Medicina iaceret
Diſciſſa, & toto languida in orbe foret.
Humana innumeri tentabant corpora morbi,
Nec perſpecta ſatis cauſa doloris erat.
E' tantóque hominum numero vix vnus & alter
Vixit, qui medica firmus in arte foret.
Dúmque ſuam hic ſectam, ille ſuas partéſque tuetur,
Artis vti & veri notio pauca fuit.
In denſiſque hominum mentes hæsêre tenebris,
Dum nullus medicæ detegit artis opes.
Hinc ſine ope intereunt paſſim iuuenéſque, ſenéſque,
Ægra vel oblæſo corpore menbra trahunt.
Quid faciant? quò ſe vertant mortalia corda?
Vnde quid auxilij, præſidiíve petant?
Morbo quique ſuo vt poſſunt medicantur, at ipſi

Transuersi à vera cognitione ruunt.
Dúmque ea apud superos inuisa sorte geruntur,
Limosam sensit cymba Charontis aquam.
Lætatúsque fuit primò, sed vidit vt atris
Quòd sua nutaret naufraga puppis aquis,
Infremuit, quatiénsque caput diuerberat vndas,
Atque animas portus transuehit inde suos.
At pater omnipotens rerum & seruator & auctor,
Diuinum exeruit summus ab arce caput.
Vtque sua in vacuas direxit lumina terras,
Vidit regnatrix quòd Libithina foret.
Floreat, & cælo vigeat Medicina, relicto
Dixit, & in terris imperet, ínque mari.
Illa igitur Graias primùm dominata per vrbes,
Hyppocratem è Coa protulit vrbe senem.
Qui primus Græcis præcepta salubria scripsit,
In canonésque breues artis adegit opus.
Téque dedit, reliquos qui vincis in arte, Galene
Omnes qui post te, quíque fuêre priùs.
Hyppocrate vno etenim sublato, iurè locârit
In primum felix te Medicina locum.
Ambo ergò veluti diuino numine ducti,
Constituêre artis dogmata firma suæ.
Nam Paulus, reliquíque alij de fontibus hisce
Hauserunt omnes, tam fuit vnda ferax.
Hyppocrates siquidem quæcunque salubriter egit,
Ordine digessit, composuítque breui,
Hæc post vtiliter, doctè, fuséque Galenus
Tractando, fecit splendidiora die.
Sic nihil intactum, nihil obscurúmque relictum,
Quòd nunc posteritas iurè queratur, habet.

V'tque etiam ingenuè fatear, nos hausimus isthæc
Ex his, éq; alijs qualiacunque forent.
Nílque mihi præter numeros, gratúmque laborem
Vendico, quǽq; legens paucula quisque notet.
At dicam hoc vnum, quòd ab hinc plùs millibus annis,
Nullus adhuc hominum tale peregit opus.
Sed scio qui vitio id vertent plerosque futuros,
Quorum iudicio vel leuis esse ferar.
Sed quos impendunt alij ludóque, gulǽq;,
Attritos studijs non pudet esse dies.
Fortè etiam qui nostra minùs documenta probabunt,
Talia non ausint proposuisse palàm.
Dum nostra hæc prosint, nec dicar inutilis orbi,
Non frustra omnino tempora lapsa putem.
Viuida nunc totum floret Medicina per orbem,
Et felix merces pandit vbique suas.
Tot stirpes, tot radices, tot semina rerum,
Plurimáque innumeris germina picta modis,
Tot gemmas, & tot lapides, aurique metalla,
Multa nimis tellus quæ preciosa parit,
Esset, vt hæc si quis vellet memorare, petendum
Vinceret eloquio Nestoris ora suo.
Quicquid enim tellus, quicquid complectitur aër,
Quicquid cærulei continet vnda fœti,
Ne aubita, possunt Medicinæ cedere in vsus,
Pluráque sub medici cognitione latent.
Imperat, & tenebris regnat Medicina fugatis,
Imperiúmque eius terra, fretúmque subit.
Omnigenúmque aufert morbũ, omnigenúmq; dolorem.
Ignotúmque mali quod genus antè fuit.
Inter & eximias tantum caput extulit artes,

Cætera


Cætera sol quantum sydera luce præit.
Ecquid enim Medica (quæso præstantius arte est?
Hac melius potuit quod genus esse boni?
Quas non exuperat? quas non præcellit & artes?
Vtilis & mundo quæ magis esse potest?
Hanc Deus excelsa cœli de sede creauit,
Et magnum medici sæpe patrauit opus.
Cum mania affectos, paralysi, elephante prehensos
Sanat, & emendat cum genus omne mali.
Cum veluti quædam fecit κολλύρια cæco,
E'que salinari humore, simúlque luto.
Quin homines etiam medicum præcepit honorent
Vir magni in sacra nominis historia.
Vúltque, iubétque dari medico sedémque, locúmque,
Cum verè donum sit Medicina Dei.
Si longè è terris omnis penitúsque recedat,
Æthereæ repetens sydera celsa via,
Quid genere humano foret ærumnosius vno?
Quæ non vitæ mors anteferenda foret?
Ex omni corpus morbosum parte iaceret,
Sæpius aut misera morte periret homo.
Esto aliquis, parui punctus sit dente cylydri,
Præbeat huic læues nec Medicina manus,
Nonne citò tenues cedet resolutus in auras
Spiritus, & corpus putre cadauer erit?
Quis non postponat charæ diademata vitæ?
Et gazas Arabum, diuitiásque Midæ?
Hanc Medicina fouet, sola hanc Medicina tuetur,
Háncque senectutis firmat ad vsque dies.
Maturóque suos profert in tempore fructus,
Lætetúrque ætas vnde senilis habet.

Cultorem illa ſuum recreat, ſtabilítque, fouétque,
Educat, oblectat, ditat, honorat, alit,
Lætáque longæuæ promittit tempora vitæ,
Largitúrque auri pondera magna ſuis.
Vnà omnes breuiter fructus, & commoda ſecum
Affert, innumeris aſſociata bonis.
Ergò agite ô iuuenes, & in hanc incumbite, vobis
Præmia veſtri olim digna laboris erunt.





FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER PRIMVS.



I quis in hoc artem populo callere medendi,
Et signa, & causas morborum scire laboret,
Nostra legat præcepta lubēs, animóque reponat.
Nam quæcunque mali formæ mortalia tangunt
Corpora, & à capitis sublimi vertice ad imos
Vsque pedes tentant, gracili depromere culmo
Aggrediar, certúmque illis præstare medelam.
Corporis humani Christe ô medicina salúsque,
Arbitrio cuius fiunt, paritérque reguntur
Omnia, de cælo diuinum infunde fauorem.
Tu solo infirmos nutu, quocunque prehensi
Decubuêre malo, sanas, lucémque beatam
Illi impartiris, fuerat qui matris ab aluo
Cæcus, & ætherei non nôrat syderis ignes,
Quos affixisti cælo, tua munera sensit
Surdorum magnus numerus, populúsque sequentum,
Dum te, virtutémque tuam, dum signa tuentur,
Mirantúrque homines, & vita, & lumine cassos,

Voce tua ad ſuperas ſubitò reuocarier auras,
Corporáque attonitis conſurgere mœſta ſepulchris.
Numine plena tuo ſunt omnia, quæque deorſum
Sub terra, ſuper & terras, & in æthere ſurſum
Exiſtunt, nutúſque tuos & iuſſa ſequuntur.
Illa tuis vt vis ſiquidem flectuntur habenis,
Imperium ſubeúntque tuum, tibi maxima tellus
Seruit, te cæli regio veneratur, amátque
Rectorem, dominúmque, & ſuſpicit Amphitrite,
Et te tartarei formidant regna tyranni.
O mihi priſcorum ſecedant numina vatum,
Quorum olim mentes denſæ obuoluêre tenebræ,
Quos error, quos ficta fides eluſit, amórque,
Ac peruerſus honos: quos ignorantia veri
Tranſuerſos rapuit, denſá & caligine merſit
Vana ſuperſtitio, & rerum ſimulachra malarum.
Hinc eſtote procùl, procùl hinc eſtote prophani.
Nos te Chriſte ducem ſequimur, dominúmq; fatemur
Pectore & ore ſimul cuncti, terráque, maríque,
Quando æterna tuum viuit per ſecula numen.
Languoréſque omnes ſedas, tolliſque dolores.
Nam donum Medicina tuum eſt, opiféxq; per orbem
Diceris, éſtque tibi ſubiecta potentia rerum,
Quarum vſu, vitiys immunem ducere vitam
Das famulis, penitúſque protrudere morbos.
Nulla adeò radix, nulla eſt ſtirps, nulla propago,
Nullum animal, nulli lapides, nullúmque metallum
Queis non è cælo ſit per te infuſa facultas,
Quæ non ex te conueniat veniſſe fateri,
In queis non tua maieſtas diuina corruſcet:
Hinc laudéntque tuum gentes mirabile nomen,

Cum

Cum genus omne mali per ea expulsatur, abítque,
Dum pueri iuuenésque simul curantur ab iisdem,
Dúmque viris eadem, & senibus medicantur anhelis,
Et toto quicquid mundo sub sole tenetur.
Alme parens, ea dum meditor memorare, saluti
Quæ valde possunt hominum conducere, cœptis
Aspirare velis, morbíque ab origine prima,
In mea perpetuum præcordia fundere carmen.
Ne dum sub numeros redigo præcepta medendi,
Quæ fusè docuêre alij, contendere frustra
Rem tentare parùm videar feliciter ausus,
Deficiántque mihi tanta ad conamina vires.
Difficile in primis id enim, magníque laboris,
Frugiferúmque ordimur opus, tentatur honoris,
Quicquid id est, ratione tui, paritérque tuorum.
Vt nimirum animus sano cum corpore possit
Séque dicare tibi totum, numénque vereri
Promptus vbíque tuum, votísque assuesce pudicis.
Ægrum corpus enim, mentísque, animíque vigorem
Obtundit, sensúmque hebetat, trahitúrque dolore
A precibus sanctísque tuis altaribus. Ergò,
Vtile si iustúmque peto, si sector honestum,
Sis felix, nostrúmque iuues quemcunque laborem.
Nostra animo vis omnis inest cum corpore: habemus
Cælestem nimirum animum diuinitus ortum
Immortalem illum, periturum tempore nullo.
Quem Deus æthera nobis infudit ab arce,
In se terrenæ nequicquam fæcis habentem,
Cuius ad imperium corpus mortale mouetur,
Seruili premitúrque iugo. namque altera pars hæc
Terrena, imbecilla, fugax, infirma, caduca,

Inconst

Inconſtánſque manet, triſtíque obnoxia fato,
Eius mortali de ſemine quòd ſit origo,
Quódque elementorum ſe vis immiſceat olli,
Quæ nihil eſſe ſinunt cæli ſub vertice firmum.
Ex his quandoquidem fuerint quæcunque profecta,
Stare diu non illa queunt. nam tempore cuncta
Occumbunt, breuiore quidem complura, ſed ipſa
Illa etiam potiora, quibus plus roboris, atque
Plus virtutis ineſt, longa iam fracta ſenecta,
Ecce ſitu damnum accipient, & mille quod anni,
Mille hyemes nequiêre, breuis conſumpſerit hora.
Et tibi ſint validæ quanuis in corpore vires,
Damna etiam ſenij (ſi te modò fata reſeruent)
Percipies, ſensímque tibi tabeſcere corpus,
Innato donec conſumpto humore calore,
Flamma velut ligni vacuato expirat oliuo,
In tenuem cedat reſolutus ſpiritus auram.
Ergò quid mirum ſi corpora noſtra videmus
Tot tantíſque premi morbis, tot adire labores?
Quando elementorum facit id diſcordia concors?
Quando ex his conſtant, atq; immutantur ab iiſdem,
I'nque vicem pugnant, ſibi súntque aduerſa viciſſim
Illa, nec æternum poſſunt durare per æuum?
Frigida dum pugnant calidis, dúmq; humida ſiccis:
Effluuium patitúrque ſui ſubſtantia noſtra,
Incidit in varios corpus miſerabile morbos,
Innumeris premitúrque malis: nunc febris acutæ
Nos coquit, & rapidis exercet pectora flammis,
Menbra quatit nunc frigus iners, neruóſque rigore
Vellicat, ínque fremunt compreſſo gutture dentes,
Circuitúque malum repetit, certíſque recurſat

Tempor

Temporibus, donec medici vel cura fidelis
Totum extirpârit, vel mors meta vltima rerum
Abstulerit, menbrorum omni virtute soluta.
Sæpe etiam tetri veniunt è ventre fluores,
Illis permixta sanie, tabóque cruento.
Et sæpe exiliunt vermes è corpore, mille
Ascarides, mille & pestes, & mille venena,
Tanta mali vis, tanta lues, quis funera nescit,
Aut quis non paueat Pherecydis fata tragœdi.
Qui nimio sudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt?
Illius siquidem toto de corpore (mirum est)
Vis serpentum ingens vacuas erupit in auras.
Ille etiam sub quo tot consule Roma triumphos
Egit, & externis tot prædas rettulit oris,
Dum varij erumpunt toto de corpore vermes,
Sylla grauem sensit fixum sub corde dolorem,
Móxque anima ipsius fugit indignata sub vmbras.
Est mihi magna satis memorandi copia, fœda
Qui specie periêre mali, iuuenésve, senésve,
Et genere infando mortis, ni splendidiora,
Omnia luce forent, & multa abeuntibus annis,
I'nque dies fiant, quæ sit memorare molestum.
Ecquid enim stirpe humana imbecillius vna est,
Morbosúmque magis, quid eadẽ infirmius vnquam?
Aut quibus hæc non sunt satis explorata? tamen se
Occulti sæpe extendunt per corpora morbi,
Donec pulmones, donec vitalia lædant,
Arboribus qualis caries plerunque videtur,
Posteaquam euersa est ventis, aut icta securi.
Humanum siquidem corpus, tot vbique malorum

Agminibus premitur, tot fert, patitúrque dolore.
Putres tótque subit morbos, vt sæpe medentum
Effugerent oculos, quantumuis lumine acuto
Omnes ipsi aquilas superent, & acumine Lynces:
Ni per & omnigenas causas, per & omnia signa
Naturam excuterent morbi, corpúsque subinde
Conspicerent. hæc quippe decet præstare medentem.
At duplici ratione pati contingit idipsum:
Aut per se patitur, veluti si putridus hærens
In stomacho sit noxæ humor, gignátque tumorem,
Aut per consensum, quoties aliunde profecti
Humores aliquam lædunt in corpore partem,
Vt si sint cæco delati è viscere sursum
In caput, afficiántque ipsum, noceántque cerebro.
Præter naturam verò tres esse feruntur
Affectus: morbus, causa & symptoma. ideóq;
Affectus præter naturam morbus habetur,
Corporis vnde quidem vitiatur functio primúm.
Causa mali effectrix, affectio constituatur
Morbum præcedens: morbi symptoma vocentur
Omnia quæ morbos omnes velut vmbra sequuntur.
Causa duplex verò est, interna externáque morbi:
Illa quidem partes intra consistit, vti fit,
Si qui deliteant putres in corpore succi.
Hanc intrà fieri nusquam contingit, at extrà,
Immodicum quale est frigus, vel scorpio pungens.
Has præter nullus medica de gente requirat.
At morbi genus esse triplex, quodcunque sit illud,
Priscorum monumenta docent, paritérque recentum:
Primum, intemperiem morbosam nomine dicunt
Nostri, sed Graij medici dixêre νοσώδην

Δισκρασιαν

Διοικάρσιαν. ſiquidem quædam diſcraſia habetur
Naturalis, vbi manifeſtè functio nulla
Læditur, à medióque parùm modicúmve receſſit.
At vel inæqualis rurſum morboſa, vel ipſa
Æqualis ſtatuenda venit diſcraſia, quando
Corpus non æquè afficitur, vel læditur æqué.
Id quoque dupliciter fieri perſæpe videmus.
Temperies vel enim partis tantummodo ſola
Mutatur, velut immodico contingit ab æſtu
Affluxus vel ad hanc etiamnum materiei
Accedit, velut in calido plerunque tumore
Conſpicies. Rurſum ſimplex intemperierum
Vna quidem, quoties per ſe eſt immunis & exors
Alterius: veluti ſi pars in corpore ſola
Æſtuet, altera compoſita eſt, vbi ſcilicet omne
Vel corpus, vel pars ſimul inferueſcit & alget,
Túmque intemperies iuncta eſt intemperiei.
Et genus hoc morbi primum ſit mente repoſtum.
Nanque aliud genus eſt inſtrumentalibus ipſis
Partibus occurſans, morbum licet officialem
Hunc per me appelles, nec enim me verba morantur,
Dum modò rem teneas, totámque decenter ad vnguem
Expendas, tua nec quicquam deliret amuſſis.
Contingit genus id morbi ratione figuræ
Non bene conſtructæ partis, ſiue ingenita hæc ſit,
Siue aduentitiam caſu quis dixerit eſſe:
Nunc in concauitate nimis multúmque patente
Conſpicitur, nunc obſtructa, clausáve manente:
Nunc pars vel remanet læuis, leníſve vel aſpra.
Interdum numero vitium contingit ineſſe,
Quòd vel luxurient partes, deſint vel eædem,

Interdum

Interdum in quanto consistit morbus, vti cum
Aucta vel fuerint partes, vel fortè minutæ
Corporeæ, siue hæc nobis connata siet res,
Siue eadem telis fortunæ accepta feratur.
Quòd si cuiusquam partis positura, sitúsve
A` naturali longè videatur abesse,
Quartam huius vitij possis agnoscere formam.
Ex his compositos morbos aliquando videbis,
Quando particulam inter se confusa prehendent,
Postremum genus esse mali commune putato
Simplicibus, nempe atque instrumentalibus vnà
Partibus, à medicis, aliísque solutio vulgò
Continui fertur, cunctis in partibus ipsa
Incidit. At nomen tamen haud ea in omnibus vnum
Sortitur, carnosa etenim dum parte moratur
Hulcus, in osse autem fractura vocabitur aptè,
Quam propria Græci dixerunt voce κάταγμα,
In neruis spasma, in vasis musclísque maligno
Aut ictu, aut forti casu, motúque valenti
Facta aliquo, prudens & doctus ῥῆγμα *Galenus*
Appellat, doctíque alij. Ruptura vocatur
A` nostris, velut in solidis diuulsio fertur
Esse ligamentis, Græcè ἀπόσπασμα *vocatum,*
Sub triplici genere hoc omnes comprendito morbos,
Quot sunt, & reliquum vitæ nascentur in æuum.
Hæc verò disces ex scriptis cuncta Galeni,
Atque aliorum etiam, qui dogmata prisca sequuntur,
Est quibus intactum nihil obscurúmque relictum.
Ex his porrò aliqui morbi censentur acuti,
Et peracuti aliqui, nonnulli denique longi.
Omnia quæ breuiter, quamuis sint dicta, videto,

Vt

Vt memori ſemper maneant ſub pectore fixa.
Atq; hæc ſunt medico rite inſpicienda futuro,
Et verſanda animo, quæ qui neſciuerit, ille
Sæpius in portu (vt perhibent) impingat oportet,
Deuius à rectáq; via plerunq; feratur.
Ad quod quémque genus morbum ſpeciémve referre
Debeat ignorans, & qua ratione modóq;.
Nanq; opus eſt genera omnino præſciſſe, priuſquam
Vtiliter poſſit quæ ſubſunt noſcere quiſquam.
Idq; mihi in ſumma factum eſt. nam dicere poſthac
Propoſui, qui ſint morbi, quæ deniq; cauſæ,
Vt poſſis huic & vitio & medicarier illi.
E medio ſiquidem conamur tollere quemque
Priuatum affectum recta ratione medentes.
At priùs id valeat, quàm quis præſtare, neceſſe eſt
Temperies hominis quæ ſit cuiuſquam, videre.
Et quæ ſit victus ratio, & qua ceſſerit antè,
Quodq; anni tempus, nimirum qualis & ætas.
Non temere Hyppocrates ſiquidem dixiſſe videtur
Spectandam ætatem, & regionem, & tempus, & ipſos
In primis morbos, fieri in quibus expedit aut non,
Quod vel conueniat, vel quod non competat ægris:
Quin ſpeciem vitæ licet expendiſſe, modúmq;,
Et quod quiſq; agat, & ſtudio quo quiſq; feratur.
Nam medicum cum plura decet ſciuiſſe, ſophorum
Omnigenúmq; libros rectè excuſſiſſe: parentis
Naturæ, rerúmq; vices, & ſidera noſſe.
Nam ſunt Arcturi tam lucida ſidera nobis,
(Vſurpare libet ſiquidem mihi verba Maronis)
Hœdorumq; dies ſeruandi, & lubricus Anguis,
Clarus & auratis aperit cum cornibus annum

Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro,
Quàm quibus in patriam ventosa per æquora vectis,
Pontus & austriferi fauces tentantur Abydi.
Aëris interea varium prædicere morem
Cura sit, ac patrios cultus, habitúsque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.
Hîc segetes, veniunt illic fœliciùs vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At nudi ferrum Calybes, virosáque Pontus
Castorea, Heliadum palmas Epeiros equarum:
Sic alij his morbi generantur promptiùs oris,
Antraces, strumæ phtises, phlegetla, catharri.
Ast alijs alij citiùs regionibus orti
Officiunt grauitérque nimis mortalibus obsunt.
Continuò has leges, æternáque fœdera, certis
Imposuit natura locis: quo tempore primùm,
Diuina quadam mirabilis arte Prometheus
In terram ferula cœlestes detulit igneis:
Et quo Deucalion hominum tot millia nasci
De lapidum iactu cum Pyrrha coniuge fecit.
Omnia sunt ergò medico inspicienda sagaci,
Quæ vel obesse queunt, vel possunt vtilia esse,
Vt certa possit morbis ratione mederi.
Ἡ'νίοχον γνώμην στόμα κακύπερθεν ἄριστην.
Contempletur ea idcirco quæ diximus, antè
Omnia morborum caussas, Symptomata, morbos:
Afficiuntur etenim mortales omnibus illis.
Atque hæc in genere, & cursim, quia cuncta videmur
Dixisse, expediet priuatas dicere caussas

borum: vnde quidem primùm videantur oborti,
sint, & quales, & quidnam denique possint,
uibus indicijs valeant signisue prehendi,
ique via his liceat quáve his ratione mederi.
ò animum dictis quamprimum aduerte, docebo.
Humani capitis quando de parte capillus
luet, ac spacijs spectabitur area curuis,
rbus alopeciam certò se detegit esse,
tus quod tali vitio vexetur Alopex,
am dicunt omnes communi nomine vulpem.
vbi pars capitis serpentis more videtur,
æ quidem ophis Graijs vulgari voce vocatur,
æsa, & multum glabescere vertice summo:
ac Ophiasis erit vero tibi nomine dicta.
c vtrumque genus morbi, ratione malorum
uenit humorum, & vitiosi nomine succi.
m veluti stirpes omnes, herbæq; frequenter.
acrescunt agris, defectu humoris amici,
ursúq; eædem pereunt humoris iniqui:
etiam nostris contingit sæpe capillis.
miditate etenim propria sibi deficiente
escunt omnes, aut corrumpuntur ad vnum.
mirum stirpes teneras priuatio succi
efacit, sapor ast illas corrumpit amarus.
verò qualis sit corpore succus abundans
noscas, pellis poteris spectare colorem.
m mutata alijs, nonnunquam albere videtur
s ruffo, ast illis fusco tincta esse colore.
guit alba cutis pituitam, pallida bilem:
ra melancholiam monstrat, mixtíq; colores
e tibi ostendunt mixtos in corpore succos.

Ergò malum si sit vitioso humore profectum,
Ex his sit ratio victus præscripta necesse est,
Dignos effatu quæ succos gignere possit.
Quæ verò id valeant præstare cibaria, claro
Ex ipso potis es desumere fonte Galeno,
Vnde alimentorum tibi suppetet ampla facultas.
In primis igitur, quod ad hanc spectare videtur
Totius morbi curam, præcedere debet,
Haud dubiè humani semper purgatio ventris:
Vel medicamento phlegma educente, vel atram
Bilem, vel flauam sensim, tutóq; trahente,
Pondenter causis perspectis omnibus antè,
Indicijsq; mali, quibus est essentia primùm
Inquirenda tibi, quàm velle accedere curam,
Non intellecti nulla est curatio morbi.
Ergò si nimiùm corpus candere videtur,
Phlegma repurgandum veniet tibi, phlegma ciendi
Vim medicaminibus vires retinentibus in se.
At si pallidior cutis ipsa appareat imum
Per ventrem, flauam debes abducere bilem.
Quò natura etenim vergit, quò pergere quærit,
Hac tentanda via est, hîc illius exitus esto.
Sin verò nigrior tali cutis ipsa colore
Prædita sit, debes atras subducere fæces,
Conueniente aliquo medicamine quod trahat illas,
Et trudat fibras laxo sphnictere deorsum.
At quoniam à putri pituitæ humore frequenter
Procedit vitium, huc magis est intendere sani.
Est tamen à leuioris opus medicaminis vsu
Incipere, & sensim præscribere fortius illo,
Donec is ex toto pellatur corpore morbus.

...æ rectè vt fieri possint, aduertere oportet.
...ipito maluæ bismaluæ perditiq́ȝ,
...furis & macri, atriplicis, blitiq́ȝ maniplum,
...asci florum digitis attingere summis
...d potes: his ammi dragmam vnam seminis adde,
...libram & semis decoctio fiat, amaræ
...hidoti tres, sex casiæ, mellisq́ȝ rosati,
...olue his dragmas, olei quod sufficit adde
...alis, & detur ieiuno corpore clysma.
...ectus quod si patiens mœrore recuset,
...circa stomachum quiddam sit ponderis instar:
...cella hac illum saltem dignaberis vna.
...ctæ capies casiæ quantùm vntia pendet,
...frusta hanc rediges aliquot cum sacare mixtam,
...æc ventriculo mane in ientacula cedent.
...ibus eductis communis materiei,
...pediet medicaminibus potioribus vti:
...cipe bismaluæ, maluæq́ȝ, & mercurialis,
...lxinæ, crambæ, atriplicis, betæq́ȝ maniplum,
...ontani sileris dragmam vnam, fœniculiq́ȝ,
...nthemidis florum semissem iunge manipli,
...d libram & semis fiat decoctio tantùm,
...quam dragmas tres indi maioris, amaræ
...uattuor antidoti, liquidiq́ȝ humoris oliuæ
...uartum vnum, niuei salis omnibus inyce dragmam:
... fiat dictus communi nomine clyster.
...l sic: Accipito dulcis radicis, & vuæ,
...xemptis granis, quantum feret vntia vtrinq́ȝ.
...ecados his addes florum, rorisque marini
...antillum, ast hordi quantum salis esse videtur:
...glossi, endiuiæ, & boraginis ana manipli

Semissem tantùm fiat decoctio, de qua
Sumes quod satis est, in quam dissoluere possis,
Antidoti è prunis, cnico, psilióq; rosísq;
Ana duas dragmas, vel plus pro ætate minúsue.
Porrige tunc vbi equis oriens afflabit anhelis.
Præscribes pilulas illis si ludere malit.
Aggarici geminos pastillos sume recentes,
Indas quas dicunt pilulas tres, cúmque liquore
Finge globos tymbræ fortíque ingurgitet ore.
Sumito dragmam aloës geminam, colochintidos vnu
Dein scrupum, aggarici pastillum iunge recentem,
Sed tria scammonij grana his, spicǽq;, crocíque,
Tantundem: macis dragmam vnam & semis, odore
Adde nucis modicum, & misce cum melle rosato
Cuncta simul, massámq; suos conuertet in vsus.
Accipiat dragmam dum tempus postulat, aut res,
Surgit vbi croceum linquens aurora cubile.
Sed quia temperies eadem & non omnibus vna est,
Euariátque hominum natura, & robur, & ætas,
Tractamúsq; viros mixtim, iuuenésque, senésque,
Imbecillos ac fortes, ditésque, inopésque,
Certa ideo nobis nescit mensura modúsve
Præscribi, memori tamen id sit mente repostum.
Danda viris potiora quidem medicamina, verùm
Quæ fuerint leuiora dabis pueróque, seníque,
Vt cuiusque isthæc virtus tolerare valebit.
Fossores etenim, nautæ, & quicúnque labore
Exercent corpus vario, dapibúsque fruuntur,
Quas vltro natura dedit, grauiora requirent.
At verò non est quòd te deiectio multa,
Paucáve perturbet, non hac ratione licebit

Metiri

Vetiri, fuerit quid inutile, denique quid non.
Talia si, purges, purgari qualia debent,
Conferet, & leuiter patiens se ferre loquetur,
Sin minus officiet, neque sentiet ille iuuamen.
Proin expurgabis quæ sunt purganda, modo ipsam
Materiam coctam videas, & abire paratam.
Humores crassos nusquam, crudosúe mouebis,
Sed priùs incides, tandem medicaberis illis.
Hinc, medicaminibus purgato corpore toto,
Tutus ad affectas poteris decurrere partes,
Præsidiísque loco bene conuenientibus vti.
Apophlegmatismi igitur, succique trahentes,
Errhináve hîc fuerint cerebrum purgantia rectè
Apposita, vt muccum valeant purgare nocentem.
Educunt & enim celsó de vertice phlegma:
Pérque os, pérque trahunt nares, ipsúmque palatum.
Supradictarum talis sit formula rerum.
Accipe muschatæ nucis, hyssopi, atque pyrethri,
Sampsuci piperis, sinapis, staphis agriæ, & albi
Marrubij quod sat quauis de parte videtur.
Cum cera, aut, dulci cum mellè, aut mastiche amicâ,
Pastilli ciceris formentur imagine, & horum,
Sed stomacho vacuo, quem vult siue mandat, & vdæ
Per narès, pérque os pituita ciebitur aptè.
His ita dispositis, ferro resecare capillos
Tempus erit, velóque caput pannóve fricare.
Et quantum affrictu successerit inde ruboris
Spectare, & vigili morbum discurrere cura.
Nanque cutis forsan si ceperit vsta ruborem,
Curatu morbus facilis censebitur esse.
Si verò rubra sit longo vix tempore visa,

Difficilem morbum dices admittere curam.
At neq; molle nimis velum, neq; fortiter asprum
Esse decet: quoniam neutrum conduceret ægris.
Tum demum abrasi capitis medicamine partes
Vnge aliquo, attendens cui vis sit, discutiénsque
Qualia sunt isthæc quæ mox vnguenta sequuntur:
Seminis erucæ geminas tibi selige dragmas,
Nitri dragmam vnam semis, cui cardamon adde,
Sulphuris his viui tantundem iungere possis,
In valido & forti contusi thuris aceto,
Vrsiniq; adipis, gallinæ atq; anseris albi
Dragmam vnam, ex oleo commisces singula lauri
Trita priùs, caput hoc possis vt inungere totum.
Sume aliud si vis, paulóq; potentius illo.
Ergò nucum capies quibus est manifestus amaror,
Sed tamen vstarum, tenero cum cortice, dragmam
Duntaxat, pyrethri, sinapis simul ellebori albi
Dragmam vnam & semis, debent nasturtia iungi,
Tapsia, móxq; vnà contenta euphorbia dragma,
Nardino excipiens oleo, formabis in vsus
Vnguentum, mollis permixto corpore ceræ.
His medicaminibus calidis, cœlóq; locóq;
Vtitor, vt caput hoc splendescat ab vnguine totum.
At verò cura debebis sedulus omni
Prospicere, atq; animo penitus versare sagaci,
Ne quid ab vnguento valido multúmq; potenti:
Percipiat noxæ capitis cutis, atq; calescat
Vltrà quàm satis est, cerebrúmq; caputq; requirunt.
Id quod in refugis, rube, tum nosse colore:
Tum digitis poteris, solóve prehendere tactu.
Hoc igitur fixis oculis aduertere oportet.


Nanq;

Nanq; iterum atque iterũ repetito hoc vnguine, mollis
Ne capitis maneat læsi cutis vsta periculum est,
Ad leuiora igitur crebrò transire necesse est.
Huic autem vitio nullum conducere possunt
Abrotonum, in valido noctem quod mansit aceto,
Contusæ cæpæ si quisquam illeuerit illas,
Betáque, quæ flammas non est experta, iuuabit.
Et scolymi succus, necnon nasturtia glandis
Phapineæque cinis mixtus cum melle suaui:
Siccáque pix pariter, pilulæque in robore natæ,
Ex adipe vrsino sed iis viêre velut si
Sit rosa lecta tibi syluestribus abdita dumis.
Quin & alopeciis ficus præstare leuamen
Attritis fertur foliis, carióηque vocatum.
Est & trichomanes, & corchoros vtilis illis.
Herba est nonnullis insignis nomine linguæ,
Circa conspicuos sueuit se prodere fontes,
Tota huius plantæ radix ambusta, süillo
Mixta adipe, id vitij persæpe emendat & aufert.
Cypria præterea quæ donæx fertur arundo
Corticis affricto combusti puluere confert.
Vstáque nymphææ radix, paritérque cicutæ.
Vatrachij genus omne illis connectere possis.
Sed quia plùs iusto vis est penetrabilis horum,
Causticáque (Ecquis enim nescit ranunculi abusus?)
Conuenit hæc subitò rasis auferre capillis.
Mucerdam his etiam multi conferre fatentur,
Caprigenum veluti stercus censetur & horum
Vngula, combusti úmve pedum conducere cornu,
Si cinerem inuertas, & fortè addatur acetum,
Suffundásque caput. quin & libanotis in vsus

Hos cedit, dicto multùm perfusa liquore.
Hócque peristereum præstat verbena vocata:
Caparum pariter cortex (vt nunc quoque dixi)
Corpore cum toto valido contusus aceto,
Id rursum cortex raphani cum melle solutus
Perficit, atque omnem morbum persanat. oportet
Nosse tamen tempus certum, formámque modúmq;
Et quibus his rectè possis rationibus vti,
Iudicium aurigam statuendo desuper aptum.
Nullos nec fines tibi nec discrimina pono.
Harum si vires teneas, effectáque rerum,
Atque vsus fueris certis his temporis horis,
Auius à recta nunquam ratione recedes
Finibus optatísque minùs frustratus vtrumq;
Marubium terito, ramos foliúmque virentis
Perdicij, capitíque isthæc appone dolenti.
Quid multis? dentes ne dedigneris equinos
Sumere, mox & eos feruentibus vrere flammis.
Horum si cineres tenui excipiantur aceto,
Et capiti admôris, nil & profeceris vnquam,
Parua quidem istius fuerit iactura medelæ.
Sunt plæræque herbæ celso sub vertice cœli,
Résque aliæ, quas nos pedibus calcamus euntes,
Et flocci pendunt homines artísque magistri,
Quarum si vires ipsis effectáque rectè
Nota forent, varijs illæ ferrentur in altum
Laudibus, & tristi possent succurrere mundo
Promptiùs ac meliùs, longéque fideliùs ad nos
Extremis quàm quæ Lybiæ mittuntur ab oris,
Húcque vehunt homines per mille pericula vitæ.
Sed sitis auri ingens & perdita semper habendi

Has rabies, tantos fluctus pepere re malorum.
Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης,
Κρύσος ἀεὶ δόλος ἐστι, καὶ ἄργυρος ἀνθρωποισι
Κρύσε κακῶν ἀρχηγέ, βιοφθόρε πάντα χολέπτων
Εἴθε σὲ μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθέιη.
Σοῦ γὰρ ἕκητε, μάχαι τε, λεηλασίαι τε, φόνοι τε.
Ἐχθρὰ δὲ τέκνα γονεῦσι, ἀδελφοί τε συνάιμοις.
Nos aliena homines ferme admiramur, amamus,
Et quæ sunt nobis bona peruia tenuimus omnes
Peruersé. Tantúsne animi mortalibus error,
Quæ nostris veniunt, stolidi est, contemnere terris?
Fœlix qui rerum potuit cognoscere causas.
Ergò agite & mecum morbos inquirite, tetri
Et quanam capitis fiant ratione dolores,
Quóque ipsis valeas pacto & ratione mederi.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER SECVNDVS.





N PRIMIS *Grajs* κεφαλαλγία *dicta videtur,*
Quòd caput ingrato afficiat tentétq; dolore.
Illud nam κέφαλιω *vulgato nomine dicunt.*
Sunt huius causæ variæ. nam sæpe caloris
Hæc ratione venit, nunc frigore pendet ab vno.

Quin nimia ariditas aliquando ciere dolorem
Visa fuit capitis, miseróque nocere cerebro.
Sæpe etiam humorum multorum nomine nobis
Contingit, veluti totum si phlegmate corpus
Luxuriet, bilémque in se coaceruet vtramque:
Interdum ex stomachi vitio ventrísque dolore,
Corrupto remanente cibo cum fæcibus illic,
E' quibus ad caput innumeri fœdíque vapores
Tolluntur sensus omnes, cerebrúmque capútq;
Turbantes. Possunt sed & hæc incommoda causis
Externis rectè meritóque accepta referri.
Nam solis radij ac lunæ plerunque dolore
Tentarúntque caput, multóque humore replerunt,
Et rapidi excurrunt quicunque per aëra venti,
Dum mare, dum terras turbant, cœlúmque profun dũ,
Æolus his quoties frænos & vincla resoluit,
Carceris atque sui fregere repagula. nam tum
Concutiunt montes, validáque a stirpe reuulsas
Excutiunt pinus, pontúmque à sedibus imis
Euertunt, cogunt nubes, soluúntque coactas,
Terribilésque cient tonitrus, & flumina trudunt,
Terrificántque animos cunctorum sæpe animantum.
Quin & pampineis redimitus tempora sertis
Morborum Bacchus dator, inuentórque malorum
Dum bibit egregiè vinúmque meraciùs haurit,
Alliáque & cæpas mandit, porrúmque, doloris
Causa fuit plerunque grauis, iaculíque ruina
In caput inflicto miserum violentiùs ictu.
Censentur verò magníque grauésque dolores
Frigoribus densis, nimiísque caloribus orti.
Maiores etenim infigunt in corpora vires.

Sicca

Sicca intemperie modicíque leuésque creantur.
Humiditas per se nescit producere quicquam.
At verò calidum capitis magnúmque dolorem
Hæc gignunt, nimiùm calidi vicinia solis,
Inflammatarum pariter vicinia rerum,
Balnea, motus ad hæc violens, contentio, rixæ,
Clamores validi & longi, magníque tumultus,
Affectúsque animíque iræ, assiduíque labores.
Innumeras possis alias inquirere causas,
Æstu qui solis nimióque ardore premuntur,
Atque caput dolitant. si contractaueris horum
Forte cutem, digitísque voles attingere summis,
Arentem inuenies calidámque, oculíque rubebunt:
Lædentur calidis, calido pugnantia quærent.
Expellunt nam se contraria quæque vicissim.
Signa alia ex proprijs disces sermonibus ægri.
Aër vitandus calidus, tepidíque vapores:
Frigidus ex vsu est, hic seu sit forte per artem,
Floribus ac violis, folijs vitísque flagellis,
Capreolísve, vlmi ramis quercúsve paratus
Frondibus, ínque solum perfuso gramine multo,
Sicvt & id lymphis roseóque rigetur aceto,
Seu talis ventis gelidóque aquilone remansit.
Sit cibus & parcus, natura & frigidus: vt sunt
Pruna damascæna, & portulaca & hordea, necnon
Intybus hortensis, pariterque oxalis & ipsa
Optima nobilium requies lactuca ciborum.
Mollia quòd si quis præscripserit oua recénsque
Ædita, & exiles succosa carne columbos,
Omphacij infundens modicum, roseíque liquoris,
A recta minimè longè ratione recedet.

Passus

Passas his vuas & amygdala dulcia iunges.
Panis aqua ablutus prodest, & potio lymphæ,
Ni forsan nimiùm stomachi natura repugnet.
Tum nanque officerent acheloïa pocula ventri.
Quò fit oligophoro pessimus rectiùs vti,
Vino nimirum infirmo, minimêq; potenti:
Hoc tuto stomachus potu recreabitur æger.
Hinc dulcem curet Galatea inducere somnum,
Molliter instructo thalamo, dulcíque susurro,
Leniter & lyricis fidibus demulceat aures.
Procuret duras alui subducere fæces
Glandibus, aut aliquo leni clystere recepto:
Sæpe aluum exoneret quisquis vult viuere sanus.
Omne genus studij vitet, curásque nocentes
Effugiat, motúsque animi. nam corpora ferme
Calfaciunt. sic vt febres gignantur acutæ.
Sparge manu Galatea rosas, albásque rubrásq;,
Nymphææ & violæ flores & carmina funde,
Sic gaudere tuus possit dilectus Adonis.
Mœror enim diros gignit plerunque dolores.
At capitis dolor à nimio qui venerit æstu,
Expedit oppositis semper curarier illum.
Excessus omnes etenim contraria curant.
Nanq; intemperiem calidam frigentia pellunt,
Frigentem calida, & siccam humectantia, & vdam
Sicca vicissim etenim extrudunt contraria sese.
Quòd si intemperiem iam pars incurrit vtramq;,
Nempe vdam & calidam, frigentia siccáq; multùm
Contulerint. At si dyscrasia iuncta calori
Sicca sit, excuties frigentibus & simul vdis:
Sin verò humida sit, necnon ea frigida, sicci

Et cal

Et calidi simul abcedet medicaminis vsu.
Non aliter quàm quæ sicca est & frigida cedit
Sæpe calorificis, atque humectantibus. Ergò
Ex intemperie sese discrimina nobis
Bis quatuor morbi produnt, monstrántque patenter.
Vnde quidem prima elicies elementa medendi.
Quicquid frigefacit, modò non spiracula denset,
Id capitis calidum curat persæpe dolorem.
Partibus ídque magis si sit subtilibus illud,
Ergò nihil melius, nihil hoc præstantius vno,
Quàm caput ex oleo totum irrorare rosarum,
Albi cui modicum tenuísque addatur aceti:
Sic etenim tenues meliùs penetrabit hiatus,
Anthemidium autem post hoc laudare memento,
Hócque vti in teneris præsertim carne cutíque
Corporibus: sunt vt muliebria corpora bini
Et quibus execti peracuta cuspide testes.
Si sit opus potiore aliquo medicamine succi
Tunc semperuumi potes admiscere, solani,
Lactucæ, andragnæ, endiuiæ plantaginis, atque
Persimiles herbarum alios aliquando liquores.
Hæc prædictarum fiet tibi formula rerum.
Sume rosarum olei quartum endiuiæque liquoris
Tantundem, tenuis modicum affundatur aceti.
Sume Iouis barbæ, lactucæ sume solani
Dragmas bis geminas, vnam semísque rosarum,
Anthemísque simul, quas elicit ignis, aquarum,
Pauxillum tenuis miscendo semper aceti.
His per se mixtis pannus velúmve madescat,
Et capiti abraso patuléque imponito fronti:
Andragnæ sumas succi pariterque solani,

Ana

Ana duas dragmas tantùm, psillíque medullæ,
Granorum & cani teneræ lanugine mali,
Ana duas olei, quibus octo iunge rosarum.
His per se patulum commixtis illine frontem,
Esse coronalis tibi qua sutura videtur.
Nam pars hæc rara est omni caritura periclo.
Hæc verò occipiti non est committere tutum,
Principij causa neruorum. Iungito ceræ
Exiguum, simul & dragmam vnam populeonis:
Et sic vnguenti totum conflaueris instar.
Quæ caput obtundunt, stupidum reddúntque, caueto,
Quæ simul astringunt, nimiùm quòd lædere possint.
Ergò ipsum fugies opium, nigrúmque papauer,
Mandragorã, altercúmq; ipsum, & genus omne solani.
Attamen his nullas metas nec tempora pono:
Cogimur interdum rigidos sedare dolores
His medicaminibus, quibus est vis tanta nocendi
Sæpius, vt rigidam possint inducere mortem,
Si quis non prudens hæc vsurparet iniquè.
Ergò soporiferis his in quæ diximus, audax
Ignarúsque caue fueris, ne forte periclum
Inducas magnum vitæ patientibus. id quod
Insigni cuidam mulieri contigit olim,
Cùm morbo vexata diu dormire nequiret.
Accedunt medici, balanum filóque ligatam
Præscribunt, subdíque iubent, omnémque subinde
Extrahere ancillas somno insurgente, misellæ id
Oblitæ, mentem crassæ intendêre culinæ,
Nec dominæ meminere suæ, dum multa loquuntur.
Interea vsqueadeo forti correpta sopore est,
Lumina támque grauis somnus perfudit, vti non
Quiuerit

Quiuerit à quoquam pelli, quocunque modo. nam
Dormit adhuc, omnes ea dormitura per annos.
Atque hæc in memori debebunt mente reponi.
Hoc caput ipse potes totum irrorare liquore.
Accipito violæ florum, paritérque rosarum,
Et meliloti etiam, camomillæ'que maniplum,
Dragmas tres illis maluarum seminis adde,
Bombacísque duas semis, quibus hordea iunge,
Mox in fontis aquæ nitidi decoctio libris
Triplicibus fiat, tibi dum pars vna supersit.
At verò frigus capiti persæpe dolorem
Inuexit citra affluxus humoris iniqui.
Nam circundantis procedit ab aëris atris
Frigoribus, veluti si quisquam non bene tectus,
Atque fenestrarum rimis dormiuit apertis.
Contrahitur reliquis vehementibus hic quoque causis.
Huic insunt vitio calido contraria signa.
Nanque calor capitis nusquam sentitur, & ægris
Incontracta cutis manet, & minimè arida forma,
Decolor ipsa tamen facies spectabitur esse.
Denique non oculi vultúsque rubere videntur,
Sed deformantur tumido exanguíque colore.
Frigoribus nec ijs gaudent, illisve iuuantur.
Quin hos offendi citiùs lædíque necesse est.
Qui sic ergo dolet gelidum aëra vitet oportet.
Nanque iuuat multum in tepido calidóve morari:
Vsum pomorum omnigenum, gelidæ'que cauentem.
Squamosósque simul pisces carnésque ferinas,
Et quæcunque dapes ægrè obnixéque coquuntur,
Quásque simul noris crassum producere succum.
Castaneas molles, licet has Amaryllis amaret,

Atque pira, & fructus omnes vitare memento,
Exceptis nucibus, ſimul & cum ficubus vuis.
Has etiam temnas herbas, vitéſque licebit,
Andragnam, betam, lactucas, intyba, caules.
Carnibus vtendum teneris, & mollibus ouis,
Gallorum pullis, perdicibus, ortyge, turdis.
Hîc tibi criſtatæ bene commendantur alaudæ.
Nec tamen hædinas iam dedignabere carnes.
In ius ſerpillum . ſatureia. ſaluia, vtrumque
Fœniculum, hyſſopum, ſampſucum, apiúmq; thymúmq;
Mittantur, nec tum forte aſpernabere porrum.
Corporis vtendum motu ſempérque memento,
Infeſtas capitíque animóque abſcindere cauſas.
At nunc ad curam quantùm ſpectare videtur,
Naturam aduertas cerebri prudenter oportet.
Nam medicaminibus gaudet mediocribus, vt ſi
Vtaris calido aut gelido medicamine pluſquam
Sit ſatis, officias multùm, noceáſque cerebro.
Rutæ oleum infuſum capiti (teſtante Galeno)
Perfectè totum ſanat, tollítque dolorem,
Si tepidum aut calidum potiùs ſuffuderes illud.
Quòd ſi maiori ſit opus medicamine, nigri
Iunge aliquid piperis, galangæ, caſtoreíque.
Miſcere exiguum poſſis euphorbij in illis,
Quæque caloris habent vires, & frigora pellunt.
Laurinum velut eſt oleum, roríſque marini,
De querua, latere, è ſpica, déque iride factum.
Ex quibus vnguentum hoc poſſis tibi fingere ritu:
Sume olei irrini, de querua, caſtoreóque,
Ana octo dragmas: macis piperíſque, thymíque,
Ana vnam dragmam, nucis addito ſemis odoræ,

Grana

Grana duo euphorbi, ceræ quod sufficit albæ,
Vnguentúmque tibi proprios confingito in vsus.
Leniter hoc, similíque alio potes vngere frontem,
Pauxillúmque huius nares immittere apertas.
Effatu siquidem dignum medicamen habetur,
Quale quidem in morbo exili non expedit vti,
Nec quencunque velim, nisi rem cognorit ad vnguem.
Conueniet rursum perfusis ambroca succis,
Sacculus, orbiculúsque placens, & semper odorus.
Serpilli, lauri, calamenti, & origani odori,
Sampsuci, tymbræ, quauis de parte manipli
Semissem capies, piperis, rorísque marini
Florum dragmas tres moschatæ, Zinziberísque
Tantundem: mixtis, contundes cuncta, decenter
Omnibus, & fiet capiti bene sacculus aptus.
Accipe ligni aloës, macis, spicæque, thymíque,
Ana vnam dragmam, cariophili, & inde cyperi,
Et piperis longi, pariter rorísque marini,
Sampsucíque simul, cui vult betonica iungi,
Tantillum: nux hæc sequitur myristica rectè,
Atque styrax, vult hisce moschatáque gallia poni.
Conterito, & fiat puluis tenuissimus ex his:
Mox maioranæ, liquido spicæve liquore,
Adiecto mollis certo istis pondere stactes,
Excipito, orbiculósque tibi confingito plures,
In mediáque domo calidis imponito prunis.
Ambaris & moschi tria grana his iungere possis,
Naribus hinc multum suaues captabit odores.
Ex intemperie quoque sicca, vdáque dolores
Nonnunquam fiunt capitis sed neutra potest id
Efficere, his nisi sit coniunctus frigoris, æstúsve,

Excessus, testante graui doctore Galeno.
Diuersa & vehemens nimirum sæpe videmus,
Ex naturæ habitu fit transmutatio tactus
In sensu, occursu calidi gelidíque potenti,
Résque ob eas certè quæ vel contundere possunt,
Quæ'que secant, vel distendunt, rodúntque valenter.
Nam siccum atque vdum, si sint orbata calore
Frigoréve, haudquaquam possunt inferre dolores.
Nanque repentino motu fortíqueprofectò
Eueniunt. Ergo cum res inferre dolorem
Nulla queat, nisi sit subitus, violentus & eius
Occursus, sicci verò hîc, vdíque potestas
Nulla sit, vt tactus valeat tum lædere sensum.
(Debilis his etenim vis est sensímque subintrans)
Vix ideo poterunt capitis generare dolorem,
At placuit meminisse tamen distemperierum,
Non quòd posse putem solas inferre dolores:
Sed foret vt via prompta omnis ratióque medendi.
Ergo intemperies capitis quæ sicca dolores
Procreat, a sicco producitur aëre multùm,
Ac medicaminibus crebris, coitúque frequenti,
Esurie, nimiáque siti, motúque valenti,
Plusquam temperies cerebri, capitísque requirit.
Et varijs studijs, & curis prouenit aspris.
Quam verò humiditas gignit, medicamina causam
Humida habent, spretóq; Acheloïa pocula Baccho,
Humentémque cibum, & circum nos aêra fusum,
Balneáq;, & positis exoptata otia curis.
Si nihil ex ipsis emittat naribus æger,
Atque caui fuerint oculi succóq; carentes,
Nec dulci aut molli declinent lumina somno:
Sicca

Sicca intemperies nobis monstratur abundé.
Aduersa oppositis poteris cognoscere signis.
Ariditas vdo emendatur ab aëre semper,
Ouis sorbilibus simul humectantibus offis,
Pinguibus ac succo plenis perdicibus, ithi,
Immanis Tereus quamuis generauerit illum,
Nunc auis est nostro gratissima tota palato.
Vtere gallinæ pullis, cappone suaui,
Atque cibis aliis, & succo & carne refectis.
Vina dabit sed aquosa tamen Galatea, sinétque,
Dilectum in totam taciturna quiescere noctem:
Molliter hic recubans in vtranque vt dormiat aurem,
Omnes vitando curas, motúsque nocentes,
Otiáque haud Arabum mutando libera gazis.
Se demum in tepido poterit recreare lauacro:
Atque coaxantes ranas simulare natando.
At verò humiditate dolor si pendet ab ipsa,
Opposita semper victus ratione fruetur,
Nempe exsiccanti, corpúsque augere vetanti.
Sicca intemperies medicamine tollitur isto.
Ex violis olei tu, nymphæáque, rosísque,
Ana duas dragmas capies, oleíque profecti
Dulcibus è nucibus dragmas treis, adde butyri
Gallinæque adipis tantundem, atque anseris albi.
Hoc similique potes patientis inungere frontem,
Quem pariter poteris fuso irrorare liquore
Conueniente aliquo, cuius malactica vis est,
Vt sunt althææ, maluæ, violæque recentes.
Aduersum semper pellent contraria morbum.
Apletora igitur capitis si forte dolore
Quis premitur, debes alia ratione mederi.

Fit verò massæ cum sanguinis humor abundat,
Ex æquo & totum corpus venæq; tumescunt.
Contrahitur multis epulis, vinóque boniq;
Succi escis, quibus est multùm nutrire potestas.
Omnis neglectu motus, torpore, quiete.
Cuncta hæc nimirum faciunt turgescere corpus,
Et ventres, venásque omnes humoribus explent,
Tenduntur venæ, saliénsque arteria carpi
Fortiter insurgit digitos, referítque subinde,
Os hominis faciésque tumet, totúsque rubore
Tingitur, & venæ validè caua tempora pulsant,
Híncque ferum faciunt capitis persæpe dolorem.
Egelido ac iuxtà versetur in aëre sicco
Carnes euitans omnes cum mollibus ouis,
Poculáque immixtis acheloïa temperet vuis,
Aut prorsum sinat, & dulci iam parcat Iaccho.
Vtatur ptisanæ succo, fontísque liquore
Glycirrisæ addens aliquid radicis amicæ,
Intybus hortensis simul & portulaca multùm
Contulerint, & acetosam quæ iura receptant
Atriplicem, blitúmque etiam, malachémq; vocatam.
Quin etiam ægrorum buglossum cedit in vsum.
At contrà vitet plantas quascunque calentes:
Serpillum, mentam, tymbram, nasturtia, cæpas,
Alliáque, & raphanos, oculísque nocentia porra.
Gaudeat, & cytharæ chordæ pulsentur, amica
Adsiet, & grata soletur voce dolentem.
Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuere iocos, veneres, conuiuia, lusus,
Vt perdoctè alibi quoque sic modularis Horati:
Multa ferunt anni venientes commoda secum,

Multa

Multa recedentes adimunt. Si postulet ergò
Tempus, & ipsa ætas, iuuenilibus excita flammis,
Hortos inuisat lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, campósque virentes,
Et quamcunque Deus tum fortunauerit horam,
Ille lubens capiat, nec dulcia ponat in annum.
Opplerit venas tantùm si copia succi,
Vsque adeo nec sit corpus grauitate molestum.
Sin minùs id liceat, nec morbus id exigit & res,
Sanguen detrahito, diuisa cuspide vena,
E cubito eiusdem partis, quantúmque licebit,
Educes iuxta vires patientis & æuum,
Per venam siquidem capiti cerebróque propinquam.
Non solùm auelles, sed & euacuabis abundé.
Quod si consilij id non sit, ratióque recuset,
Infirmæ quòd sint vires, ætásque repugnet,
Figatur scapulis duróque cucurbita dorso,
Non capiti illa quidem, sed iunctis partibus ipsi.
Dum gignuntur enim adhuc morbi sæuíque dolores,
Partibus haudquaquam affectis, sed continuatis,
Affigi debet feruente cucurbita flamma,
Semper in oppositum recta ratione trahendi.
His sic perfectis, capiti medicamina iunges
Frigida, quæ'que valent morbi depellere causam.
Et tetrum pariter capitis sedare dolorem.
At clystere priùs par est subducere fæces,
Quam partem affectam possis sanare dolore.
Accipe bismaluæ, maluæ simul & violarum
Ferdicij, simul atriplicis, blitíque maniplum,
Furfuris & macri, lactucæ seminis adde,
Atque cucurbitulæ dragmam vnam, & semis anethi,

Ad libram & semis fiat decoctio succi
Adiunges nigri calami, mollisve medullæ
Bis quatuor dragmas mellis, dulcisque butyri,
Anthemidisque olei duplum salis addito dragmam,
Et detur dictus vulgari nomine clyster,
Ieiuno verùm stomacho chilóque carente.
Nam medicamentis matutina aptior hora est.
Vteris vice clysteris medicamine tali:
Accipe buglossi, & boraginis, ana manipli
Semissem, endiuiæ tantundem, scariolǽq;,
Inque tybi agrestis, lactucæ seminis adde
Dragmam vnam & semis, modicúmq; suauis anethi,
Pulpæ vuæ passæ distractis prorsus acinis
Dragmas tres, sennæ foliorum folliculorum
Quattuor, ad iustam fiat decoctio partem,
In quam selectæ casiæ dissolue medullæ
Dragmas bis triplices ieiuno deuoret ore.
Buccellam patiens si malit sumere, nigram
Tum casiæ poteris confundere sacare pulpam.
Hoc similique potes medicamine sæpius vti:
Sumito acetosæ iulepi simplicis, vnà
Nymphææ sextantem omni de parte syrupi
E' violis semis tantùm, miscebis aquarum
Buglossi lapathi endiuiæ pariterque rosarum
Libram vnam, suméique tribus sed mane diebus,
Illucescit vbi stellis aurora fugatis,
Pruna damascæna cærie rugosa senecta
Sume decem florumque trium modicum endiuiǽq;,
Appone ad geminas bis frigida semina dragmas.
Fiat & ad rectam mensuræ coctio partem,
E' succo dragmas medicaminis adde rosarum

Tre

Tres solùm, calami longi nigríque medullæ
Septem, aduentanti fiat tibi potio luce.
Innumeras possem tibi commemorare receptas,
Ni refugis, mentémque aliò diuertere mauis.
Accipe conseruæ factæ è violísque rosísque, &
Buglosso, ana vnam dragmam pro mane sequenti,
Vt surgit croceis inuecta aurora quadrigis,
Post hæc sunt rasis capiti apponenda capillis,
Quæ iam relliquias morbi depellere possunt,
Qualia sunt fœnumgræcum, cum semine lini
Anthemidis flores, & suaue rubentis anethi,
Bismaluǽque suo collecta in tempore radix.
Ex his tutè oleum potes vnguentúmque parare
Pro arbitrio, & capitis totius inungere partes.
At si non omnes turgescunt corpore venæ,
Nec sanguis, nigra nec bilis, nec phlegma redundet,
Sed tantùm à flaua gignuntur bile dolores,
Priuata debes ratione mederier illis
Perscrutans signa & causas ratione sagaci.
Nanque calorifica quicquid virtute refertum est
Siccificáque simul, genus id producere morbi
Et bilem generare queunt, testante Galeno.
Vt sunt sollicitudo grauis, rigidíque dolores,
Tristitia, ira ingens, rabidíque in mente furores.
Ac exercitium vehemens, motúsque frequentes
Et validi curæ vltrices, ieiunia crebra,
Et sitis, & labor, & studium quodcunque sit illud.
His ratio accedit victus, quæ gignere bilem
Et cumulare potest: vt sunt cæpæ, allia, porra,
Maratrum, menta, hyssopum, satureia, ruta,
Cyperus, macis nux & moschata, pipérque.

Id crebrò morbi feruentem bile iuuentam
Tentat, & implicitam qui vitam sentit amaris
Sollicitudinibus, studijs curísque repletam.
Pallentem videas faciem patientis, eiq;
Non facili noctu succumbere lumina somno,
Ariditas linguæ sentitur & oris amaror.
Aëre lætetur gelido, lætetur opacis
Frigoribus, mollíque velit recubare sub vmbra
Arguto cytharæ percurrens pollice chordas.
Omnia tuta quidem modo sint mediocria, fient
Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεεινή.
Pessimus excessus, mensura est optima rerum.
Est modus in rebus, quædam certissima meta est,
Vltra quam citráque nequit quis viuere sanus.
Humida sit ratio victus patientis oportet.
Potus aquæ ex vsu est, ceu nusquam fortis Iacchi.
Otia tutus amet, contráque negotia spernat,
Dormiat, & curas somno dissoluat inanes.
In primis flauam educes medicamine bilem.
Fluxilis hæc etenim cum sit, tenuísque leuísq;,
Vim medicamenti promptè, virésque trahentis
Subsequitur, leuitérque fluens detruditur aluo.
Quòd si parte aliqua furiosus is hæserit humor,
Exurátque aliquas in nostro corpore partes,
Exhibeas par est medicamina nata caloris,
Feruorem immodicum, ingratúmq; obtundere succum:
Floribus è violæ facti vncia sola syrupi,
Verùm ex endiuia semiunciæ suscipiatur,
Hordi decocti, ínque ιybi, circi, rumicísq;,
Misce quartum vinum, placidóq; absorbeat ore.
Sumito acetosæ, violæque, rosæque syrupi

Vncia

Vncia se quadruplex quantùm diffundere possit,
Decocti endiuiæ tria dein quartaria iunge,
Quæ tribus accipiat ieiuno ventre diebus,
Clarus vt æquoreis Titan emerserit vndis.
Accipe dragmam vnam & semis rhabarbari in albo
Per noctem infusi vino, endiuiæq; liquore,
Spicæ vnum & semis scrupulum, infundantur (vti iam
Dixi) per noctem & fiat compressio, iunge
Anthidoti è succo psilli, succóque rosarum
Ana duas dragmas, & erit tibi potio purgans,
Quam matutina possis præscribere luce.
Sume aloës dragmam semis, rhabarbari & albi
Aggarici semis scrupum, roseóque liquore
Permisce, & molles fiant pilulæ tibi quinque aut
Septem, quas patiens ieiunus sumere possit.
His ita dispositis factísque, localibus vti
Tunc medicaminibus potis es, quæ nempe calorem
Excutiunt capitis nimium, virésq; ministrant,
Si rarò aut nusquam declinent lumina somno,
Sinciput ex oleo roseo, atque papaueris albi,
Nymphæáque iunges, opij quibus addito granum,
Vt nempe his possis animi dissoluere curas,
Concilians oculis somnum sedánsque dolorem.
Sæpe etiam capiti visa est pituita molesta,
Partibus ipsius quoties infracta tenetur,
Frigidiore ferè procedit ab aëre (qui vel
Humidior censetur aqua) generatur ab omni
Humectante cibo, vaccino lacte, recénsq;
Caseolis factis, nimiúmque ex fructibus vdis
Ingestis. fit item dapibus vinóque recenti,
Plùs quàm ventriculi vis & natura requirunt:

Et multo paritur ſomno immodicáve quiete.
Os hominis vultúſque albent, oculíq; grauantur,
Totáque ſunt ſanè tenebroſo membra ſopore
Vincta, quòd in facilem declinent lumina ſomnum.
Hinc hebetes ſenſus, muccóque redundat inani
Os caput, & cerebrum miſeréq; ante omnia nares.
Aër in quo æger verſabitur, & calidus ſit
Natura & ſiccus, talis vel is arte paretur.
Mollibus vtendum pullis & carnibus aſſis,
Monticolis auibus, turdis teneríſque columbis.
Vtendum fuluo & tenui ſimul ordine vino.
Nec motus ſaltem moderatos negligere vnquam
Conueniet, fueritque minùs dormire neceſſe.
Curandi ratio peccanti à phlegmate debet
Incipier. quare humores incidere primùm
Ac tenuare docet, præſtantibus iſta ſyrupis
Egregiè, quales calamenti marrubiíq;
Exiſtunt, velut abſinthi & de ſtæcade. nempe
Hæc ſtillatitio, tymbræque thymíque liquore
Excipiens: ſimul & ſampſuci, fœniculíq;,
Intybi & agreſtis, iſthæc ægríſque propinans.
Plures & validos poteris formare ſyrupos
Serapij è menta, ſquilla, mellíſque roſati,
Ana vna & ſemis miſcebitur, vncia tantùm
Sampſuci, aſparagíque nouem, tymbræque liquorum.
In tribus vtatur ſole exoriente diebus.
Dein ſic inciſo purgabis phlegmate corpus:
Sume aloës dragmam ſemis, ceu ſemis amari
Aggarici ſcrupum. fiant catapottia ſeptem.
Iunge diacridij grana his tria vel duo ſolùm,
His vti patiens recta ratione valebit.

lt verò tantùm semel expurgasse quatérve
ix satis est. debes igitur medicamina, rectè
artitis vicibus, certis iterare diebus,
x toto donec pellatur corpore morbus.
lumores etenim crassi multúmque tenaces
xquirunt tempus, possint quò ritè parari,
lec purgantur enim subitò, nec ventre feruntur,
aulatim siquidem incisi coctíque subinde
l' medicamentis facilè eliciuntur amaris.
rgò repurgato pedetentim corpore toto,
Quæ partem expurgent venient adhibenda dolentem,
mnes relliquias morbi quò pellere possint.
Auxilijs igitur reliquísque localibus vti
mnibus expediet. simul abluere ora dolentum,
t tandem capiti possis medicarier ægro.
ternutamentorum etiam laudabitur vsus.
ume igitur piperis longi paritérque pyrethri
Ana duas dragmas, bliti, staphis agriæ, anethi,
ampsuci, tymbræ, hyssopíque, thymíque maniplum,
Ad bessem. si vis, fiat decoctio: deinde
erapij è squilla facti, mellísque rosarum
Ana octo aut septem tantùm confundito dragmas,
Colluat ósque æger. selecta temporis hora.
ternutamenti talis tibi formula fiet:
Carpesij, piperis tibi sumes castoreíq;,
Nasturti, sinapis, costi. paritérque nigellæ,
ampsuci, cunilæ moschatǽque, elleboríq;
Ana vnum scrupum, nigri paritérque cyperi,
Fiat quo vtêris ieiuno corpore puluis.
Accipe condisi piperis, simul atque nigellæ,
ampsuci, sinapis staphis agriæ, & ellebori albi,

Ana

Ana duos scrupos, tantundem iunge pyrethri,
Cum modica & molli confringes errhina cera.
His tu relliquias poteris depellere morbi.
Quòd si ventriculi vitio fortasse dolores
Eueniant, capitis causas & signa requirens,
Haud dubiè à recta nunquam ratione recedes.
Contingit verò maiori ex parte, vel acri
Humore impacto tunicis, aut ipsius ori,
Aut succis alijs prauè remanentibus intro.
Qualescunque sient, quacunque in parte morentur.
Hinc sese sursum fumi tetríque vapores
Attollunt, lædúntque caput, turbántque cerebrum.
Adde quòd ad stomachum cerebro procedit ab ipso,
Par nerui insigne & permultùm sensile. quare
Huic per consensum, stomacho malè habente, cerebrum
Compatitur, suffértque grauem persæpe dolorem.
Quippe caput, cerebrum, sensus, paritérque premuntur.
Nam velut ex fluuijs, nimiúmque paludibus vdis,
Attollunt sese fumi virtute caloris,
Solis & astrorum influxu, terráque maríque
In cœlum, vnde quidem nubes, pluuiáque niuésque
Gignuntur, nymbi fiunt, turbo atque procella,
Et vis ventorum immanis, fulménque coruscum,
Incutitúrque metus miseris mortalibus ingens:
Ac si sublimi rueret de vertice olympus:
Sic ex ventriculo, corrupto humore madente,
Vicinísque locis se crebrò copia tanta
Erigit in cerebrum fumi, fœdíque vaporis,
Vt muccus plerunque per os paritérque palatum,
Pérque abeat geminas non apto calle lucernas.
Ex quo sæpe quidem cerebro nox incubat atra,

Intus

Intus opaca ingens, rigidæque simillima morti.
Cuiuscunque mali causa est spectanda, proinde
Si fuerit stomachus præsentis causa mali, tum
Ipsum ventriculum primùm curare studebis,
Infractos apto educens medicamine succos
Ipsius in tunicis, sed spectes semper oportet
Quò vis naturæ vergat, quò erumpere tentet:
Flaua petit bilis sursum, velut atra deorsum
Fertur. At in medio crebrò pituita resistit
Ventriculi spacio, tunicisque impingitur eius,
Quam vix auellas aliquo medicamine sumpto,
A' multis qualis censetur amara Galeni
Et sacra antidotus multùm meritóque probata.
His factis stomachum dapibus recreabis amicis,
Et medicaminibus quæ vires addere possunt.
At verò si quando caput violenter ab ictu
Inflicto doleat, carnes vitare memento
Et vinum, quæ corpus adhæc nutrire potenter
Possunt, & plenas distendunt sanguine venas.
Febris enim miseris impendet sæpe periclum.
Ictu cùm valido fuerit cui vulnus adactum,
Vtendum ptisanæ succo, vel mollibus ouis,
Intyba, malua simul lactuca, cucurbita, quæq;
Feruentem possunt sensim immutare calorem
Conuenient, fueríntque nimis patientis in vsu.
Hunc iuuat à curis immunem ducere vitam,
Atque in tranquilla compostum pace manere.
Quippe nihil melius, nihil excellentius vnquam
Concessit diuina Dei, atque æterna voluntas.
Omne ens quandoquidem sublata pace periret.
Quòd ni elementorum staret concordia discors,

Inter

Inter séque Deus vinclo sociasset amoris,
Nictu oculi caderet totus vel mundus in vno.
Proin moderetur homo semper rationis habenas,
Imponátque animo fræenos, & temperet iras,
Pacis amat quisquis dulces decerpere fructus,
Expertémque malis affectat ducere vitam,
Commdáque optati sentiscere quæritat oti.
Interea salsas omnes, acrésque acidásq;
Euitet patiens epulas, parcátque Lyæo,
Nec licet assuetis tentet gaudere lauacris.
Est modus in rebus, qui certo limite constat,
Vltra quam citráque nocet præscribere quicquam.
Ergò si gignat casúsve, ictúsve dolorem,
Aut fuerit duro contusio facta bacillo,
Curandi varius veniet tibi finis habendus.
Primus erit valido tibi desumendus ab ipso
Vulnere & istius præscribes nomine quicquid
Iungere labra potest, longéque arcere calorem.
Sumetur verò contusa à parte secundus.
Tertius est propter dirúmque ferúmque dolorem
Seruandus. Qui fit solùm vel partibus ictis,
Is vel nonnunquam consensum propter earum
Contingit, premitúrque graui vicinia morbo.
Si grauis angor erit, vulnus multúmque profundum,
In magno vitæ versabitur ille periclo,
Et mage si in parte repat inflammatio caluæ
Accendátque caput, matrem durámque piámq;.
At verò nonnunquam aliquos contingit ab alto
Decidere in terram, cerebríque abrumpier vnam
Particulam, aut tunicæ alterius duntaxat, id ipsum
Dum fit, tum dolor est vehementior asperiórq;,

Et

Et vitæ inducit magnum plerunque periclum,
Præsertim si quam signum cœleste regebat,
Læsa sit. Iccirco si vel contundere venam,
Vel partes alias quasuis incidere ferro
Aggrediare, tibi cœlestia signa licebit
Contemplari animo, ne quid malè sedulus erres.
Ergò quæ referam memori sint mente reposta:
Sol cerebro & capiti dominatur, Iuppiter hepar
Respicit, at linguam Cyllenius ósque figurat,
Luna regit stomachum, Saturni stella lienem,
Mars calidum sanguen, genitali semine, nec non
Renibus alma Venus, nec re sine, gaudet vtrisq;.
Hos animo teneas semper seruésque planetas.
Nec tamen hos inquam solùm, sed & omnia signa:
Est Aries capitis princeps ante omnia, colla
Taurus habet, Geminus æquali brachia sorte
Traduntur connexa humeris, Cor, pectus anhelum
Cancer agit, Latera & scapulas leo, venter & ipsa
Virginis in propriam descendunt ilia sortem,
Libra ambos renes, clunes paritérque tuetur,
Scorpius inguinibus, nec non genitalibus ipsis
Gaudet, vt Arcutenens femore, at Capricornus vtrisq;
Imperat in genibus, Crurum fundentis Aquari
Arbitrium est, Piscésque pedum sibi iura requirunt.
Si vires igitur constent, si tempus & ætas
Permittat, tibi nec cœlestia signa minentur,
Initiò incides venam, quæ nempe dolentem
Respectat partem, capitíque propinquior extat,
Hanc sanè externam nostri dixere magistri.
Quòd si vitalis fortasse infirma potestas
Impediat, tempus, longéque infirmior ætas,

Iniecto ventrem leni clystere mouebis,
Vt partim exoneret ventrem, fæcésque repurget,
Humorem partim immodicum nocuúmque reuellat.
Contentósque illic fumos, crassósque vapores
Quærentes propria sursum virtute moueri.
Hinc nos præsidijs alijs vtamur oportet,
Affectúmque locum partémque tuebimur omnem.
Ergò caput læsum lino lanáque fouebis
Dulci oleo imbutis, ne frigore nempe cerebrum
Aëris externi & noxa afficiatur acerba,
Algeat, inducátque ingens fortasse periclum.
Quòd si scissa manet mollis menbrana cerebri,
Committet pulchrè calamenti succus, eámq;
Infusus sanat, miliíque aspersa farina,
Inde rosarum oleum tepidum, paritérque butyrum
Suffundes, adipémque illis nusquámque salitum,
Sed veterem tamen. Hísque caput rectè omnibus ægrũ
Vtitor adiutans, & tum bene feceris ipsi.
At verò cutis exterior si forte dolorem
Perferat, aut quæ post illum menbrana videtur:
Si paruus dolor extiterit, sedabit acetum
Ex oleo mixtum roseo. nam si dolor ingens
Instet, & hîc fuerit longè inflammatio maior,
Pars affecta magis tali lædetur aceto.
Quid moror? Initijs roseo miscebis acetum
Paucum oleo sed si morbi vigor ingruat, illo
Vtitor, haud oleo tali dignatus acetum.
At quæ in schirrum abeunt his admiscere solemus
Pulegium apposita romana, absynthia, tymbra.
Si verò sine duricie inflammatio iam tum
Decrescit, rectè laxantia quærit & optat.

Hæc

Hæc animaduertas quiſquis medicamina condis.
At verò ad mollem cerebri ſi fortè medullam,
Quocunque id caſu fiat, peruenerit ictus,
Tempus abire homini eſt, ſuperáſq; euadere ad auras.
Morbus enim neſcit talis curarier arte.
At ſi per febres aliquis fortaſſe dolore
Tentetur capitis, tum debes ſedulus aptè
Quærere, num dolor hic ſubitò cum febre maligna
Inuadat, vel num pòſt increſcente calore.
Nanque ſtatim ſi non tali cum febre dolor ſe
Detegat, at verò certo impendente creetur
Naturæ motu, tunc non tibi pharmaca quiſquam
Applicet, aut capitis tentet curare dolorem.
Nam criſim talis dolor arguit eſſe futuram,
Aut vomitu, aut multo per nares ſanguine fuſo.
Sin verò ſimul inuadat cum febribus aſpris,
Gignitur ob varios fumos, tetróſque vapores
Ad caput elatos, fuſóſque in corpore ſuccos,
Febris ob immenſum ſuccenſæ nempe calorem.
Humores etenim turgent, ſurſúmque mouentur,
Infeſtántque caput, multíſque vaporibus opplent:
Pars infirma etiam crebro fit cauſa doloris,
Non per ſe tamen. hæc etenim promptè excipit vnà
Quicquid ineſt vitij, neque pacto diſcutit vllo.
Hócque modo humorum mala fit collectio. quare
Corpore ſi toto & venis exuberet humor,
Hincque dolor veniat, dolor hinc cauſetur iniquus,
Si nihil impediat mittendi ſanguinis horam,
Incides tumidam directa cuſpide venam.
In partem oppoſitam quoque ſæpe reuellere poſſis
Glandibus iniectis, acri & clyſtere: probantur

Vincula móxque humeris affixa cucurbita vtrisq;.
Tum demum capiti reprimentia iunge, rosarum
Nempe oleum, supráque tibi quæ diximus. Ingens
Quòd si tum fuerit febris, nec dormiat æger,
Embroca conueniet capiti confecta decenter
Ex his, quæ molles possunt inducere somnos,
Lactuca, semperuiuo, plantagine, vtraq;
Nymphæa, ac violis: capitúmque papaueris albi,
Momentúmque opij inijcies, si cogit egestas.
Nymphææ & violæ capies, paritérque rosarum,
Lactucæ, endiuiæ semissem è quoque manipli
Hordea prædictis quantum feret vncia, iunge,
Quid semperuiui, florúmque papaueris addens.
Ad iustas iubeas fiat decoctio partes.
Molliter & totum caput irrorare memento.
Tum demum his quæ relliquias detrudere possunt
Atque fugare procul, multúmque iuuare cerebrum,
Viere, nempe oleis bene conuenientis anethi,
Iridis ac reliquis Sunt & decocta probanda
Bismaluæ ex folijs simul & radice parata:
Ist huc anthemidem fœnumgræcúmque repones.
Quòd si viscosi, crassi, nimiúmque tenaces
Humores fuerint, serpillum impone, comásque
Pulegij tymbræque aliquid, dictæque nepetes,
Et quascunque herbas nosti istius esse farinæ.
Sunt verò hæc molli semper suspecta cerebro.
Lac nempe æruum, thus, styrax, hederæque corymbi,
Myrrháque, cyclaminámque, & semen vrticis adde,
Pencedanum & vulsos absinthi è caudice succos.
Affectus post hos, modò quos deteximus, vnus
Subsequitur, longè ante alios teterrimus omnes.

A' nostris, velut à Græcis cephalæa vocatur.
Ægrè cedit enim tetros rigidósque dolores
Inculcans, oculísque aufert tollítque quietem.
Hunc quisquis patitur, voces strepitusque sonoros,
Lucem fulgorem solis, potúmque Lyæi
Haud perferre potest, tenebras sed noctis opacæ
Exquirit, mauúltque locis decumbere in atris.
Ingens nempe dolor miserum perturbat & angit.
Nonnulli credunt quòd malleus atterit ipsos
Ferreus, obtendi non paucis cuncta videntur,
Quæ circa caput existunt, læsúmque cerebrum.
Ast oculorum alijs dolor in radicibus hæret.
Quidam menbranas dolitant, quæ se vndique circum
Obuoluunt cerebrum, quidam duntaxat eam quæ
Os vestit caluæ, circúmque obtenditur illud.
Nonnunquam assiduus labor est, miniméque remittit
Sese, nonnunquam verò sedatur abítq;.
Id genus obtingit morbi cum plurimus humor
Ventres, & totum corpus repleuit abundè,
Aut quando exterior cranij pars interiórq;
Acres persensit fumos, tetrósque vapores.
Omnibus his etenim premitur neruosa propago.
His iungenda quidem venit inflammatio causis,
Infirmumque caput natura, aut debile casu
Qui cum certa aliqua veniunt grauitate dolores,
Ostendunt multos collectos corpore succos.
Qui vero cum morsu aliquo erodente, tibi acrem
Humorem superesse notant, acremque vaporem.
Cum pulsu vero duro inflammatio semper
Exoritur Quod si fiat distensio forsan
Cum grauitate aliqua, si recte indico quicquam,

Humores illic collectos esse notabunt
Inter menbranas geminas cerebrúmque retentos.
Quando superficiem tantùm dolor occupat ossis,
Duntaxat caluæ menbrana dolore putetur.
At si fortè dolor matri duræque piæq;
Hæserit, haud dubiè fundo sentitur in imo.
Quòd si feruidior putrendo euaserit humor,
Accendit quendam velut inflammatio febrem,
Ex suprà positis venit instituenda diæta.
Curandi verò ratio, si plurimus humor
Venas, & totum corpus replerit abundè,
A' medicaminibus, loca quæ sic plena repurgent,
Incipies, cubiti & venam de more secabis
Eiusdem semper lateris: clysteris & acris
Sæpius huic vitio multùm conduxerit vsus.
Qualem, ni forsan renuis, sic accipe paucis.
Sumito maluarum, bliti, atriplicis, violæq;,
Pulegij, rutæ, helxinæ, althææque maniplum,
Ammi & fœniculi dragmas tres seminis adde,
Ad libram & semis fiat decoctio tantùm,
In quam dissolues hieræ, maioris & indi,
Antidoti è prunis, diacatholicique vocati,
Ana duas dragmas, rutæ laurique oleorum
Quartum vnum, dictis binas salis addito dragmas:
Et fiet dictus communi nomine clyster.
His ita dispositis capiti medicamina iunges
Opportuna ægro, veluti nasalia sunt &
Appophlegmatismi etiam. nam sæpe trahendo
Conueniunt succi, maioranæq;, thymique,
Cyclanimi, & porri, blitique. his omnibus vti
Atque alijs possis, cum tempus poscit. Oliuis

E' cru

E crudis oleum reprimit, paritérque rosarum,
Per se vel potiùs si quid miscebis aceti.
Posthæc, quæcunque excutiunt, medicamina debent
Adponi, quò relliquias extrudere possint,
Anthemidis veluti, fœnogræcíque, & anethi:
Sunt olea, & proprium cui nomen lilia donant.
His reliquísque ipsum caput irrorare licebit.
Discutit antè alias plantas verbena valenter,
Et robur seruat capitis, sedátque dolorem
Cocta oleo, si caussa mali de frigore pendet.
Et species alia est capiti coniuncta doloris,
Quæ partem quamuis caluæ perturbat & angit,
Nunc verò dextram tantùm, nunc illa sinistram
Afflictat, tetrósque infert, gignítque dolores.
Nonnullis circa caluam capitísque profundum
Sentitur: multis caluam dolor atterit extrà,
Et circum obductam tunicam & caua tempora pulsat.
Hîc ægrè affectus cedit, capitísque dolorem
Continuum inducit, strepitu, clamoribus, atq;
Fului etiam potu magis incrudescit Iacchi.
Causa mali varia est, varia est & forma medendi.
Nanque per influxus multorum sæpe vaporum,
Humorúmque venit, per venas, pérque meatus
Non multùm absimiles venis, seu copia succi
Iuncta sit immodici seu certè feruida miscet
Sese intemperies ipsis humoribus: & fit
Alterutrum inuolucrum quoties, tunicæve cerebri
(Μήνιγγας dicunt) longè protrudere fumos
Ingenitos, loca per caluæ rarissima quærunt.
Interdum verò si, quæ sunt fortè cerebro
Suppositæ, partes doleant, transmittere possunt

Ad caput infirmum, varium tetrúmque vaporem,
Qui tentátque ferítque caput, lædítque cerebrum.
Hæc ex iam dictis poteris deprendere signis.
Hoc aduerte tamen, quòd si menbrana, videmus
Qua caluam obduci, tali sit pressa dolore,
Ne patiere quidem digitis attingier vnquam.
His lædetur enim si quisquam admouerit illos.
Sit ratio victus, quæ gignat amicum
Humorem, fumósque nequit detrudere sursum:
Qualia sunt porrum sinapi, raphani, allia, cæpæ.
Ad morbi curam, quantum spectare videtur,
Aduerte: in primis num corpus oporteat ipsum
Expurgare priùs, num fortè incidere venam.
Si morbi genus id generârit noxius humor,
Hunc oportunè & sensim purgare necesse est.
Sin verò humorum multorum copia corpus
Oppleat, & toto tumeant in corpore venæ,
Ex humeris misso curabitur ille cruore:
Corpore purgato, iungenda localia demum
Pharmaca sunt, longè valeant quæ pellere morbum
In gelida id possis vnguenti sumere causa:
Vncia spicæ olei capiatur, semis anethi,
Serpilli ac piperis scrupus, semisque cyperi,
Castorei verò duplex euphorbij adapta his
Modicum & cera adiecta formabitur vnguen,
Dimidiam caluæ quo possis vngere partem.
Dulcis sume olei sextantem, cui addito scrupum
Euphorbi modicúmque ægras infundito in aures:
Tum naturali quadam virtute potenter
Id medicamen aget, quod nec plerique periti
Sperarent, cum sit dictu mirabilis hæc res.

Nam

Nam lateri dextro, læua si fortè dolente,
Admoueas illud tenui priùs inditum aceto,
Aut contrà, aduersa tantùm patiente, sinistræ
Adponas parti, morbum sanaueris omnem.
Talis in Euphorbo virtus, ac tanta potestas.
Antè tamen causam morbi, symptomata, morbum,
Ætatem, tempus, regionem, ac denique sexum
Contemplari animo, studiúmq; decebit acuto,
Temperiem atq; hominis crasim quæ cuncta reuoluens,
Auius à recta nunquam ratione recedes,
Perfacilíque mali ratione medebere causæ.
Lumbricus id terræ præstat cornutáque lymax,
Si parti carnes tritas admoris earum,
Ni sunt doctorum mendacia scripta virorum.
Quid multis? paruos fœtus, quos persica mala
Intus habent, referunt genus id curare doloris,
Hisce priùs tritis si partes vnxeris ægras.
Atq; hæc sint libro tandem mihi scripta secundo.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER TERTIVS.





VSAE *Castalides, quæ celsa cacumina montis*
Pernasi, qui verticibus petit astra duobus,
Sæpius incolitis, lauróque Helicona virentem,

Quas inuentor opis medicæ præclarus Apollo
Artis magna suæ voluit mysteria nosse,
Dicite, quandoquidem scitu res digna videtur,
Estque operæ precium & semper meminisse necesse,
Nec magis ex vsu quicquam mortalibus ægris,
Sanguinis in summa quæ sint præcepta trahendi.
Ardua res quippè est. morbos curare volenti
Vtilis in primis, & quam bene noscat oportet,
Auxilium præstare cupit qui tristibus ægris,
Iactentur quocunque malo, quacumque laborent
Corporis in parte, atrocique dolore premantur,
Quod non indocta multi de gente scierunt,
Dum vita exhausto mortales sanguine priuant,
Eripiúntque animi vires & corporis, æuum
Aut in perpetuum corpus miserabile reddunt.
Nam quanquam vulgò venarum sectio fiat,
Attamen innumeros quoniam peccare videmus,
Et vitæ miseris inducere sæpe periclum,
Ægris est animus primúm succurrere, deinde
Hisce vias cupiunt artis qui nosse salubres.
Nanque hoc præsidium ante alia est præstantius vnum,
Si rectè vsurpes: nec eo lætalius vllum,
Si rectè minùs id fiat, nec quando mali vis,
Temperiésque ægri, regióque, ætâsque, requirunt.
Exhauritur enim, trahitúrque domesticus humor:
Totius sedes vitæ, virésque fatiscunt.
Hocce malè educto, nec inutilis abijcitur fæx
Extra hominis venas, & partes interiores
Ventriculi, offendens renes, splenémve, iecúrve,
Sæpius vnde mali totius pendet origo.
O diuúmque hominúmque parens, qui sidera torques,

Sidera præcipiti circumlabentia cœlo,
Respicis vnde tuam gentem, paritérque tueris
A'te efformatam, manuúmque opus omne tuarum,
Multigenáque vides morborum labe teneri,
Auge animos, facilésque mihi fac esse Camœnas.
Te sine cuncta retro cedunt, sine te omnia manca,
Vanáq; sunt, finésque bonos non illa sequuntur.
Te sine curârit nullos medicina dolores.
In primis nostra huc intentio tendat oportet,
Educatur uti sensim de corpore sanguen,
Ac tutò, quodcunque superfluit, atque redundat.
Quod sanè fieri duplici ratione sueuit.
Nanque grauata vel est virtus, quamuis videantur
Ipsæ etiam venæ minimè succo esse resarctæ.
Quò fit in hocce statu infirmos plerósque iacere
Illico contingat, ceu viribus antè minutis:
Cum quandam veluti molem pondúsve recuset
Impatiens natura oneris perferre, patiq;,
Plena vel extendit sua conceptacula sanguis:
Quanquam vis ista non ferat patientis iniquè.
Vnde quidem ruptis aliquando in pectore venis,
Plereque emanant guttæ, sputúmq; cruentum
Sanguinis, aut alij veniunt de corpore fluxus.
Purpurei ad vires hinc exuperantia succi,
Corporis arguitur quadam grauitate molesta.
Quò grauior siquidem factus sibi quisque videtur,
Hoc magis ad vires creuisse putetur oportet,
Ipsa superfluitas vitioso è sanguine pendens:
Hoc magis exuperat, sanguisque superfluit vnus.
At quoties idem sua vascula tendit adauctus,
Haud tumor ipse potest hominem quemcunq; latere.

Ostendit

Ostendit verò vacuandum corpus vtrumque:
Illa grauans vires, & vascula corpora tendens.
Ergò die morbi primo si cogit egestas,
Siq; necesse siet, diuisa cuspide vena
Educes sanguen. memori sed mente recundes,
Ingenio esse priùs versandum ritè sagaci,
Num bene ventriculus congesta cibaria, nécne
Coxerit, aut aliquid fundo teneatur in imo.
Num iecur ex chimo sanguen constauerit aptè,
E'que mesenterij distraxerit omnia venis,
Hæreat aut inibi succi indigesta supellex.
Exilésq; grauet venas quascunque refarcit:
Impediátq; vias, partes quibus itur in omnes
Corporis, exugant ne succum fortè benignum.
Inconcocta nocent etenim, nec prima semel si
Coctio peccarit, queat hanc reparare secunda,
Huius nec vitium peccet si tertia sarcit.
At si certa aliqua fuerit ratione relicta,
Initiò morbi cuiusuis sectio venæ:
Vltrà etiam hanc septem possis incidere soles,
Ingens id si vis morbi, si postulet vsus,
Nec virtus etiam patientis fortè recuset.
E'venis autem qui quærit mittere sanguen,
Est operæprecium spectet, secúmq; requirat,
Sítne in ventriculo, aut circa, pondúsve, tumórve,
Sítne in visceribus permulta retentio fæcum,
Deprensámq; statim læui clystere mouebit.
Ne venæ putris succi, è ventre inferiori,
Ex cæco, recto, gracili, ecphisi, reliquísque:
Recrementa trahant, grauitérq; premantur ab ijsdem.
Sanguis ijs igitur quibus est ratione maligni,

Vrgentisq;

Vrgentísque mali mittendus, tempore quouis
Detrahitur, morbi tamen infestante vigore:
Et quibus accedit, quibus ille recurrit & horis
Vitatis. Si continua quis febre tenetur,
Matutina magis tempestas conuenit illi.
Qui nulla vitij detenti labe, verentur
Abscessu lateris diras incurrere febres,
Innumerósque alios morbos qui sæpe fuerunt,
Inter mortales inopina sorte venire:
Prospiciúntq; homini morbos quoscunq; futuros,
Atque hos consilio cupiunt vitare medentum,
His ego consulerim, vt tempora verna morentur,
Vel morbos alia vitent ratione cruentos,
Quin cum cuncta vices mutent, animantiáque ipsa,
Semper, vti Protheus, varias mutentur in horas,
Sítque hominum fragilis, sempérq; volubilis ætas:
Euariétq; cadátq;, citò voluentibus annis,
Cautum sit, ne quis puerorum haurire cruorem
Tentet: vel molles ferro contingere partes,
His sit terquinos peruentum donec ad annos.
Cerea nam cum sint pueris & mollia membra,
Promptè horum in tenues substantia dissilit auras,
Pérq; insensibiles dissoluitur ipsa meatus.
Adde quod his opus est alimentis pluribus vti
Corporibus, sanè quorum substantia nondum
Constiterit, crescunt sed adhuc, quantóq; senectæ
Longius abcedunt, tantò magis illa necesse est
Nutriri, ínque suum conuertere plurima succum,
Vnde statim possint acquirere membra figuram.
At senibus, quando hæc effœta est viribus ætas,
Corporeæ & molis præ pondere membra grauantur,

Et

Et meliore carens succo peiore redundat,
Per venas nusquam debemus mittere sanguen.
Præsertim humanos sibis sex lustra per annos
Implerint. nanque hæc mittendi meta cruoris
Legitima est, nec eos fas est transcurrere fines.
Nos nisi vis ingens morbi pertraxerit isthuc,
Et ratio id dictet, nos & conuincat agendum.
In summa infirmis fuerint qui viribus, illos
Educto sectas per venas sanguine, nunquam
Euacuare decet, non id tolerare valeret,
Si quæ restet adhuc tenuato in corpore virtus.
At firmum quibus est corpus, virésque valentes,
Audacter sanguen, mittiq; licebit abundè,
Quò magis id leniter perferre videbimus illos,
Et latæ fuerint spectandæ in corpore venæ.
Si qua recens verò menbra inflammatio torquet,
Partis ab aduerso sanguis venit eliciendus,
Influxus vt ea humorum ratione reuellas.
Quòd si passio sit diuturnior ipsa, propinquo
Vicinóve loco succum eduxisse licebit
Sanguinis, & venas nocuo priuasse liquore.
Quin ex particula quauis traxisse cruorem
Possumus. At cubiti è vena sæpe interiore
Fundimus, id cum vis morbi, cum postulat vsus.
Estq; operæprecium firma sub mente tenere,
Quod venæ alari saliens arteria, neruus
Subiaceat mediæ semper. nam vena periclo
Sola caret, vulgò quæ nunc humeralis habetur,
Quam nos in capitis vitijs plerunque secamus.
Promptiùs hac etenim ratione educitur humor,
Humor qui capitis causátq; inferíq; dolores.

His

His in qui subsunt collo, partiq; propinquæ,
Alarem in morbis mediam incidemus vtrisque.
Partem igitur par est cubiti vincire supernam
Funiculo, inde manus musclósque fricare vicissim,
Tum venam succi plenam, multúmq; tumentem,
Diuidimus certo peracutæ cuspidis ictu.
At iustum ægrotis infligere vulnus oportet.
Nam nimis angustum ne crassior exeat humor
Efficit, impediens transitum sanguinis atri.
Quin & flammatum generauit sæpe tumorem,
Facto inibi succo putri, dum plurimus hæret.
Sanguinis at quantum par sit vacuare, necesse est
Metiri id morbi ex natura, & viribus ægri.
Ergò si fuerit peccantis materiei
Copia, quæ morbum gignit, vel ad vsque trahendum
Deliquium est animi, cum scilicet æger adhuc vi,
Et valida virtute animo euanescit, iniqui
Non ex humoris cuiusquam colluuie, ipsum
In stomachum, cuius causa plerique, statim ipso
Initio, priùs his quàm sit detractio facta
Debita, deficiunt animo. succedat oportet
Illud deliquium vacuati nomine succi.
Nam si inclementis morbi natura requirat,
Sanguineo vt venæ succo vacuentur, abundé
Languidáq; his virtus, atque eneruata fiet vis
Corporis, hîc veniet vacuatio distribuenda.
Parciùs ac primùm quàm debeat, atque secundò,
Tertiò item si res exposcit sanguine tracto.
Nec verò interea si forte humoribus æquè
Exundet corpus, magno testante Galeno,
Per venas tantum nos euacuare solemus:

Verùm etiam affectus vehement is causa alicuius
Cogimur id facere, & crebrò compellimur, etsi
Apta & conueniens sit commoderatio succi,
Vt si confertim sanguis de naribus ipsis
Effluat, ex alióve loco, non vberiore ex
Copia. At opposita rectè de parte trahendæ
Nonnullæ materiæ, d uertendæ'q; frequenter:
Sunt incidendæ directa cuspide venæ,
Præsertim vehemens aliquos vbi phlegmone adurit,
Interníque aliqui morbi crudeliter vrgent.
In colicis veluti, laterúmq; doloribus aspris,
I'nq; his quos duræ rerum cruciatus arenæ
Concitat, & morbos miseri exponuntur iniquis.
Nam dolor, & partis flammatæ feruor acerbus:
Humorum præbet causam defluxibus in se,
I'nq; sibi partes vicinas, ínque propinquas:
Quamuis sit succis corpus nequioribus expers.
Parcius ergo id tum facies: sempérq; videndum:
Vt cum dissectis fiet vacuatio venis:
Maximè & ætati, & naturæ, & viribus ægri,
Temporibúsque anni quadret: simul & regioni.
Quin etiam expediet tecum, quibus ille sueuit.
Siue ea naturæ sint congrua, siue repugnent,
Perspicere, atque animo penitus versare sagaci.
At quibus extiterit magna inflammatio iuxta
Venam, quam volumus scalpello incidere acuto,
Flammigero velut in iecoris, laterúmq; dolore,
Perquam commoda res erit expectare, cruoris
Dum color atque habitus mutari conspiciantur.
Nimirum in morbis aliter se sanguis acutis
Semper habet quiuis, alitérq; in corpore sano.

Perpetuò

Perpetuò in morbis etenim variatur ab illo,
Quem nullis agitata malis natura gubernat.
Nam si crudus erit primùm rubicundior, inde
Flauior efficitur, feruore caloris adaucto:
Si priùs extiterat talis, mutatur in atrum.
At non perpetuò dum commutatio fiat,
Expectare decet. nimirum sæpe priùs quàm
Contingat, sani fuerit desistere ceptis
Consily, vires vel ob his plerunque minutas,
Vel morbi propter naturam sæpe ferocem,
Qui multa interea sese de parte remittit.
Ventribus internis sanè vehementiùs hærens.
Quod per & obscuros rectè dignoscere possis,
Et per inæquales pulsus, quotiésque tenorem
Defluxus minimè seruat, sed frangit eundem:
Claudite tunc riuos, pueri sat prata biberunt.
Quod si nil horum obstiterit, patientis & ætas
Florida sit, tumeántque refarcto in corpore venæ,
Sanguis mittatur, donec color immutetur.
Hócque magis zephiris quoties mulcebitur aër,
Et cœli nebulas moderatior aura fugarit.
Quod si fortè priùs quàm sit vacuatio facta
Debita sistatur, quòd vel ratione cruoris,
Defectúsque animi vel crassi nomine grumi
Contingit, stricti nexu vel funis, oportet
Gnauiter aduersùm certemus singula. nanque
Defectos animo rebus recreabis odoris.
Vincla relaxabis quibus est constrictio noxæ.
Grumus & effuso leuis euanescit oliuo.
In cubiti venis ita fit, detractio verò
Sanguinis in fronte abluta hac, fotáque frequenter

Lenibus excipitur ceruix patientis habenis,
Inserto ad guttur digito, tum ponge tumentem
Scalpelli iniecta directè cuspide venam.
In venis pariter iugularibus efficiendum est,
Extantes etenim ferri mucrone secamus,
Prorumpítque citò sanguis. quo quique iuuantur
Inueterata oculis quorum est ophthalmia noxæ,
Obscuróque vdam fundunt è lumine ceram.
Insuper ac venas linguæ plerunque iubebis
Transuersim incidi, quoties angina timori est,
Faucibus inducítque malum, quotiésque recurret.
Auxilio hoc vsi multi euasere. Oculorum
In magnis hirquis quidam, quas esse videmus,
Compungunt venas, capitísque affectibus hacce
Prospiciunt ratione malis, licèt inueterarint,
Atque oculis veteri maculatis labe medentur.
Quin & ij venas etiam nasi interiores
Trudunt, & seta feriunt aliquando süilla,
Immittúntque hominum nares res leniter aspras.
Post aures itidem venas incidere morbis
In capitis suerunt, veluti quæ crura, pedésque
Perceptant: acri in renum sæuóque dolore,
Corporis extremis venæ quæ partibus insunt,
Membris (vt par est) vinclo vel fune ligatis
Ostendent sese, quò rectè pungere possis.
In læua compunge manu, patiente liene,
Inter currentem paruum, paruóque propinquam.
At iecore affecto, in dextra punxisse iuuabit.
Humores auertit enim vacuatio, quæ fit
Partibus à longè distantibus atque remotis,
Quóque magis distant, læsáque à parte recedunt,

Hoc

Hoc magis affluxus auertunt materiei.
At verò in pede malleoli secuisse necesse est
Septantem venam, veluti si coxa laboret
Vrgentíque siet matrix affecta dolore.
Atque hæc sint paucis de sanguine dicta trahendo,
Quæ pater Hippocrates, quæ magnus vbique Galenus,
Quæ Paulus, Græcíq; alij docuêre bonarum
Authores rerum, præcepta salubria nati
Dicere, & hæc totum penitus vulgare per orbem.
Ast alibi & permulta alia apponemus, ad artem
Quæ multum facient medicam, si fata deûm me
Seruent, nec fragilis breuient mihi tempora vitæ.
Hinc itaque ad pensum nostrum redeamus oportet,
Morborúmq; graues tentemus dicere causas,
Effectúsque notásque etiam pro parte virili.
Quáque via liceat, quibus & rationibus illos
Pellere, ne reliquum vitæ nascantur in æuum.
Nam morbi genus est quoddam, quo cuncta videtur
Obuolui, & tenebræ suffundunt lumina densæ,
Obtundúntq; oculorum aciem, mentémq;, animúmq;.
In terram ergo cadunt crebrò, si fortè rotentur,
Et gyro videant actas res esse frequenti,
Præcipitésque ægricureus speculentur, & vndas
Vorticibus raptas validis violentiùs ire.
Visibilis siquidem resolutus spiritus vndis
Occursans, lenibúsque rotis, obuoluitur instar
Illarum: leuitérque actis leuis ipse mouetur.
Interdum cerebro venit hoc pathema dolente,
Nonnunquam stomachi vitio procedit iniquo.
Nonnunquam hoc alijs vitium de partibus ortum est.
Vt cum vis ingens fumi, tetrique vaporis

Effertur sursum, quod iis contingere sueuit,
Cruda quibus venis, ventrique alimenta supersunt,
Gibbaque pars iecoris quibus est feruentior & quis
Ex iecore in ventrem ecphismique regurgitat humor,
Humor folliculi fellis de parte profectus,
Quo non in toto consistit amarior vllus
Corpore, & exonerant se fæcibus ilia fœdis,
Clysterisque vicem præbent mortalibus. Isthuc
Adde quibus genus est venosum caldius æquo,
Spiritibusque intus variis & sanguine feruet.
Tum patitur cerebrum, lentus cum & viscidus humor
Occupat internas partes, obsedit & illas.
Ex quo fumosus resolutus spiritus, ipsis
Ventribus in cerebri, citroque, vltroque mouetur,
Ventriculi verò vitio consentit, & ori
Eiusdem, humorum nimirum quando mala vi
Opplentur, sursumque vapor se tollit ab imo.
Inuoluuntque oculos tenebris, totumque cerebrum,
Illic spiritibus variè crebroque rotatis.
Nam veluti quorum nimio, fortique Lyæo
Ventriculi sentina madet, gurgetique ciborum,
Ex illo fumi elati, calidique vapores
In cerebrum: turbant oculos, sensumque, caputque.
Hucque illucque pedes animo titubante vacillant,
Haud secus id patitur vitii quicunque mouetur,
Totus & obscura mentem caligine mersus,
Aut procumbit humi, aut gressus non figit eundo,
In variasque animi partes agitatus aberrat.
Cum cerebro capitis vitium dependet ab vno,
Ægrum agitat tinnitus, eique exasperat aures,
Et vehemens dolor est grauitas quam magna frequẽter
Præuenit,

æuenit, olfactum lædens, sensúmque videndi.
um verò magis afficitur, cum sole sub ipso
ut steterit nimium, aut nimiùm sudarit abundè,
ut vbi causa alia incaluit caput, eius & humor
luitur, inque meat partes & concitat illas.
st vbi fit vitio stomachi sentitur in ore
ntriculi morsus, quem pessimus excitat humor,
ausea cui comes est, sequitur quam tristis amaror.
ëra deuitet crassum, nebulísque refertum,
umen amet purum, defæcatúmque vapore,
oncoctu facili victu dapibúsque benigni
iatur succi, flatúque carentibus omni,
ymphatum prodest vinum, læditque meracum:
inziber & sinapi, & cæpæ & piper allia, porra,
t quæcunque valent fumos attollere sursum
sse solent noxæ, capitíque ciere dolorem:
Nocturnus prodest somnus, læditque diurnus.
ollicitudo dolor luctus curǽque recedant.
Obsessum morbo quo nos seruare queamus,
Et demoliri causam radicitus omnem,
In primis totum corpus vacuare necesse est.
Incides igitur venam, si sanguis abundet,
In cubito eiusdem partis. sin noxius humor
Implêrit corpus, totúmque infecerit illud,
Pharmaca præscribes nocuum purgantia succum.
Phlegma trahens si phlegma subest, si bilis abundet,
Educes nocuam toto de corpore bilem.
Clysteres etiam poteris præscribere, tetras
Infrà qui fæces retrahant, fumósque reuellant.
His sic præmissis, quæ enda localia demum
Pharmaca sunt, geminisque humeris ventosa potenti

Cum flamma figenda venit, mox cuspide acuta
Infliges vulnus, crassum educésque cruorem, &
Impurum, humorésque alto de vertice prauos.
Tum quæcunque per os possunt educere phlegma,
Præscribes, & quæ nares oculósque repurgant,
Quorum materiam possis tibi sumere suprá.
At verò stomachi vitio si fortè scotoma
Proueniat, solo vomitu curabitur æger.
Accipe radicis raphani, cum semine dragmas
Septem, raparum dragmas tres semis, anethi
Fasciculum, ad libram fiat decoctio: squillæ
Semissem quarti liquidi confunde syrupi,
Assumptóq; cibo fiat vomitorius haustus,
Exin ventriculus dapibus recreetur amicis.
In summa, capiti, vitij si causa feratur
Accepta, auxilijs varijs pro materiei
Peccantis ratione, vti fas iúsque requirunt.
Si genus id venis morbi debetur, oportet
Post aures illas incidi, cruda licebit
Concoquere, & recta victus ratione fruisci.
Si verò exuperet bilis stomachi ima subintrans,
Expurgabis eam certo medicaminis vsu.
Vt vero tostum iecoris, tritúmque in aceto
Conducit vitijs sumas si fortè cuminum,
Sic quoque detentis cæca vertigine confert.
Albæ vitis idem radix præstare videtur,
Tritáque quotidie solius pondere dragmæ
Concessa. innumeros etenim conducit in vsus,
Nobilis vsque adeo serpentum curet vt ictus,
Abstergátque omnem commota mente furorem.
Quin & Leucates vertigine quemque maligna

Liberat obsessum, vitióq; opponitur isti.
Adde fabæ græcæ ligni ramenta, suaui in
Cocta mero. nam cum nimiæ dulcedinis eius
Participes fructus videas (testante palato)
Mirum, ramentis quòd maximus insit amaror.
At natura parens rerum bene prouida. sæpe
In proprio ipsa opere est nutum ingeniosa, ságáxq;
Dúmque ea luxuriat, ludítque, & sponte sua amplam
Matricem irrorat terræ, seménque benignum
Fœcundat, multùm mirabilis esse videtur,
In re cum varias virtutes miscet eadem,
Plurima cum pugnent, sibi síntq; aduersa vicissim.
In cæcæ verò densáq; scotomatis ortus,
Vires se magnas sagapenum monstrat habere,
Déq; etiam squilla bulbosa quod fit acetum,
E' raphaníque simul sectis quem expresseris humor,
Illis ellebori nonnulla parte reposta,
Reucomáque & samia lapis à regione profectus.
His vsus morbi ablata sanabere causa.
Est aliud vitium Phrenitis, quæ nomine Graio
Dicitur, eueniens quoties ardore tenetur
Alterutrum cerebri inuolucrum, seu sanguinis atræ,
Seu flauæ influxu bilis contingit idipsum.
Quod si feruorem bilis persenserit vstæ,
Menbranásque simul geminas, totúmque prehendat,
Fit Phrenitis longè ante alios teterrima morbos.
At vitij species huius tres esse sciendum,
Ceu certè nobis tres sensus interiores
Esse parens natura dedit, rerúmque creatrix.
Interni sensus hi sunt: Phantasia prima
Sede manet, virtus memorandi parte remota,

In media ratio cerebri regione remansit.
Ergo prout fuerint ventres hi vertice summo
Dispositi, varios fieri persæpe necesse est
Affectus: sunt nimirum plerique, quibus cum
Sit ratio stabilis, constans, ac firma, poténsque,
Sensibus attamen ipsi alijs plerunque mouentur
Non rectè, fallítque animum phantastica virtus.
Quod potuit verè monstrasse Theophilus olim.
Nam cum fama esset miserum decumbere, ad illum
Venisséntque sui, secum nonnulla loquuntur,
Mutuáque inter se conferre negotia certant,
Vt videant hominis quæ sit sententia, quídve
Diceret, ánne sibi quicquam constaret, & esset,
In quo nil vnquam possent culpare sodales.
Et visus sapere est, & ad omnia verba modestus,
Donec iam longas sermo diffusus in horas,
Desipere, & cerebri nôrunt hunc debilis esse.
Nam tum cantores procul hinc, ait, este molesti,
Eijcite hos socij, satis est nolentis ad aures
Psallere, & argutas percurrere pollice cordas,
Sæpius hæc, eadémque illis mirantibus effert,
Cum fidicen nullus, nec qui cantaret adesset,
Nemo qui citharam digitis percurreret, omnes
Ille tamen bene dum socios agnoscit, & audit,
Et sapit, & sedet & loquitur, prandét que bibítque,
Nescio quos illis citharœdos autumet esse.
Hinc liquet in prima quod vis quæ sede moratur,
Sæpe oblæsa fiet, stabili ratione manente,
Et vi postrema cerebri quæ parte recedit.
Alter (vti perhibent) fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,

In

In vacuo lætus sessor plausórque theatro.
Cætera qui vitæ seruaret munia: recto
More, bonus sanè vicinus, amabilis hospes,
Comis in vxorem, posset qui ignoscere seruis,
Et signo læsæ non insanire lagenæ:
Posset qui rupem, & puteum vitare patentem.
Hic vbi cognatorum opibus, medicíque fidelis
Conualuit studio atque opera sumptúque diremit
Elleboro penitus morbum, bilémque meraco,
Et redit ad sese, Pol me occidistis amici
Non seruastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.
Ast oculorum alij apprendunt obiecta colores,
Et rerum formas varias & nomina nôrunt,
Iudicium tamen excidit his, ratione remota:
Qualis Romæ aliàs vixit (testante Galeno)
Ægra mente alius, qui cùm, custode remoto,
Inclusis intus foribus valuísque, fuisset
Vnà cum paruo puero fortasse relictus,
Præproperè è lecto surgítque, aperítque fenestram,
Vnde videre homines posset, pariterque videri.
Inde rogat quos ire viam videt atque redire,
An iubeant, vt quæ nunc vascula vitrea dextra
Continet, expellat pellas dicentibus illis,
Expulit, & vasa omnia conquassauit ad vnum.
Omnibus his mouit risum, mouítque cachinnum
Interna ratione carens. Ridentibus illis
Apprendit puerum manibus, lapsúmque fenestra
Aspexêre homines, risus subitóque recessit.
Condoluêre etenim puero, quem terra iacentem,
Contritumque silex ibi sanguine tinctus habebat:

Vascula nominibus propriys donabat & esse
Nouerat: huic nec erat memorandi ablata potestas,
Attamen, hei, misero ratio defecerat vni.
Hos præter sunt & plures quos improbus error
Mentis habet, quibus omnis abest communis imago
Rerum obiectarum, ratio quibus excidit omnis.
Quo sanè vitio quondam gens illa prehensa est,
Cuius Thucydides meminit, dum bella cruenta
Perstrepit, & Graias memorat grassata per vrbes
Et latè humano tellurem sanguine tinctam.
Plerique obliti siquidem memorantur, ita ipsos
Vt se, nec socios, nec quenquam nosse valerent,
Tanta animi labes mentes incessit eorum.
Ergò quòd sensus sunt plures interiores,
Ex his perspicuum est, & lumine apertius ipso.
Quos cognosse priùs par est, quàm pharmaca cuiquam
Præscribas, quærásque malum detrudere, certis
Quòd tutè his tandem poteris deprendere signis:
Nanque malum quos hoc cepit, cynechísque furórq;,
Difficilis somnus, grandísque amentia vexat,
Sunt oculi vigiles, rubeo tinctíque colore,
Quósque fricant crebrò, digitísque attingere certant:
Nunc his humor abest, nunc plurimus excidit illis.
Quòd si contingat fessos aliquando iacere,
Turbidus hos somnus, simúlque hos insomnia terrent,
Semiferas vocésque altum super æthera tollunt,
Exurgúntque, thoro exiliunt, furor horridus instat
Effundunt sine mente sonos, nullo ordine, nullis
Sensibus: oris adest pallor, totúmque prehendit
Squaliditas corpus, maciésque cutim aspera fœdat,
Exhaurit siquidem molles cum carne medullas.

Certi

Certi nec possunt quid respondere rogati:
Os scabrescit eis, fitque aspera lingua, palatum,
Labráque, & à patulis cruor ater naribus exit:
Festucas vellunt digitis, & stragula vestésq;
Exquirunt, lanámque leuem floccósque reuellunt.
Hunc si sanguineus morbum generauerit humor,
Cum quodam ferme est coniuncta insania risu,
Deteriúsque malum minus hoc perhibetur. amara
Sin verò bilis vitium produxerit istud,
Dira lerninam superat dementina febrem.
Non illos manibus quisquam, non funibus arctis
Contineat, vinclis opus est religentur ahenis,
Vsque adeo miseram vexat vesania mentem.
Esto cibus ptisanæ succus, panísque medulla
Intincta in lympha, fugiant quæcunque calore
Participant, faciúntque ipsum siccescere corpus:
Morbo præscribi semper contraria debent.
Lactuca vtantur, malua, boragine, coctis
Inque tybis: fugiant sinapi, cæpe, allia, porrum,
Oua ex omphacio madeffacta & mollia sumant,
Nec dedigneris soleas præscribere, eósq;
Pisces qui leuibus gaudent in littore saxis:
Pruna damascæna carie rugosa senecta
Accipiant, cerasúmque genus, quod sacare dulci
Conditum rectè est. horum quia cedit in vsus.
Punica mala simul, cùm se calor aggerat intus,
Præbe. nam stomachum possunt recreare, nocentem
Et remouere sitim, & linguam & lenire palatum.
Nanque mero quod calfaciat, non expedit vti,
Fontana sed aqua permixta parte syrupi.
E' nymphæa aliqua molli, è violísve rosísve:

Ex int

Ex interuallis isthæc sumenda memento.
Quod fit paulatim tutum est, omnique periclo
Id vacat, at quod fit confertim lædere natum est.
Ast vbi febriculæ feruor deferbuit, & sunt
Vrinæ coctæ (quod possis nosse colore)
Tunc & olygophorum poteris præscribere vinum,
Si vis præsertim stomachi non firma videtur.
Consueritque æger tali gaudere liquore,
Indulgeat somno: somnus sedare dolores,
Innumerósque simul potis est depellere morbos:
Omnes confirmat sensus, oculósque capútque:
Compescit rabiem, dirum lenítque furorem.
Et breuiter miseras cogit discedere curas.
Inter at antiquos est disceptatio quædam
Commota aëre de, patienti in quo esse liceret.
In tenebris alij voluerunt constituendum,
Spirituum quòd vis agitetur luce, furorémque
Excitet, at tenebras molli conducere somno.
Asclepiadis erat firma hæc sententia menti,
Diceret vt tenebras ægris noctémque nocere,
Et clara ægrotos in luce iuberet haberi,
Quòd tenebræ incutiant mentique animóque timorem:
Ipsáque lux oculos & sensus occupet omnes:
Intereáque animus quieat, nam sæpe tenebris
Mens agitur, magnóque metu velut icta tremiscit.
Lux quibus est noxæ tenebris habeantur oportet,
Quos tenebræ lædunt sunt lumine constituendi.
Aptiùs at semper mediocria quisque sequetur.
Quòd vero ad morbi curam spectare videtur:
Principio cubiti debes incidere venam
Exteriorem illam, quæ nunc humeraria fertur,

Quam si non possis, media regione iacentem
Incides, quantúmque feret vis tempus & ætas,
Mittendum. nec enim grata est sententia eorum,
Ad defectum animi qui quærunt mittere sanguen.
Nam vacuare minùs præstat, quòd corporis illis
Ob varios motus substantia transit in auras,
Pérque insensibiles dissoluitur illa meatus,
Incisa vena cubiti, missóque cruore,
Vt par est, frontis possis incidere venam,
Illam quæ recto procedit tramite. Quòd si
Ægri naturæ virtus ætásque repugnet,
Ambabus scapulis figenda cucurbita, spinæ,
Occipitíque venit scalpri cute cuspide scissa.
Auertunt siquidem ferme in contraria magnos
Humorum influxus fluere impediúntque trahendo.
Porrò obseruabis mittendi sanguinis horam,
Scilicet vt venam incîdas quo tempore mentem
Ira furórque minùs tentant, si dísque ministris
Est opus, vt patiens immotus contineatur,
Ne vena eludat vel acutæ cuspidis ictum,
Corporeos omnes artus agitante furore,
Vel fiat vulnus quàm par sit latius, atq;
Turpiter emisso lacerentur sanguine venæ.
Paulus in his quos se minùs exagitare videbat,
Frontem compunxit, sed habet quas lingua Dyocles
Prætulit huic venas: nasi plerique repertas
Figunt naturámque putant imitarier, atrum
Naribus è patulis fundentem sæpe cruorem.
Interea multùm clysteris proderit vsus.
Vt verò à capite humores auertere possis,
Vincula conuenient extremis partibus illa

Corporis

Corporis iniecta, vt pedibus manibúsque. Subindè
Ex oleo totum caput irrorare rosarum,
Atque etiam è violis. simul althæáque licebit,
Actu sed tepido semper. nam frigida neruis,
Menbranis, cerebróque nocent, spinæque medullæ,
Flammato noxæ est cerebro, tunicísque cerebri.
Frigiditas etenim densat spissátque meatus.
At calor immodicus feruorem duplicat. Ergò
Ritè rosarum oleum tepidum, quando ingruit æstas,
Infundes modicum permiscens semper aceti.
Tempore sed brumæ calidum mediocriter illud.
Hunc in conuenient vsum plantago, solanum,
Lactuca, endragnæ, dictísque simillima quæq;
Germina, si ex illis succos expresseris herbis,
Aut stillatitias expresseris ignibus vdas,
Et capiti admoris, vel fronti, syncipitíve,
Immiscens opij modicum si postulet vsus.
Mandragoræ, alterci, paritérque papaueris albi,
Quæ tu sedata debes præscribere mente,
Iudicióque graui, cum tempus id exigit & res.
Nam cerebrum & cunctos posset offendere sensus:
Marcorem neruis & spinæ conciliando.
Naribus apponi debent violæque rosæq;,
Nymphææ flores, tria santala, quósque cytinos
Appellant, sequitur quos molli camphora odore.
Omnia quæ cerebri possunt lenire dolorem,
Atque oculis gratum paulatim inducere somnum.
Quale hoc quod sequitur sanè medicamen habetur:
Accipe populeôn dragmas tres vnguinis, illi
Semen hyoscyami quantum duo grana requirunt,
Adiunges, tantundem opij, radicis & imæ

Mand

Mandragoræ appones tenero de cortice vulsæ.
Adde illis tria grana croci, contentus aceti,
Et violarum olei modicum fudisse, rosarúmq;:
Adijcito ceræ pauxillum his omnibus, inde
Sinciput vnguento hoc frontémque capútq; perunges.
Irrorare caput frontémque liquoribus vdis
Interdum, quoque nonnulli monuêre, iubéntq;.
Vtitor his igitur dum tempus postulat & res.
Interea si sese aliqua de parte remisit,
Iam leuior factus morbus, meliórque priori,
Ad medicamentum cui discussoria vis est,
Deuenies, quod relliquias depellere possit:
Qualia sunt complura tibi quæ diximus anté.
Tum si gallinam sumas, fœtúsque caninos,
Pérque seces medium, capitíque admôris, ijs sic
Proficies, quo vix credas medicamine maius
Esse repertum aliud quicquam terráque, maríq;.
Quæ quanquam multis medicamina parua videntur,
Plùs prodesse tamen quàm plurima pharmaca possūt,
Quæ nempe extremis Lybiæ mittuntur ab oris.
Si diuturna autem fuerit tibi passio visa,
Serpillum ex oleo recoques feruentibus ollis,
Hoc vnguésque caput corrasis antè capillis.
Quid moror? Vtendum iussit, monuítque Galenus
Castoreo, magnus cum se furor ille remisit,
Vtpote cum vitium penitus plerunque resoluat.
Huic alia est species vitij contraria, Graij
Omnes λήθαργον vulgato nomine dicunt.
Hoc morbo affectis tantarum obliuio rerum
Accidit, ac tantus marcor, torpórve profectò,
Vt veluti iaceant somno vinóque sepulti.

Causa

Causa huius pituita mali, quæ frigore multo
Atque humore caput replet, totúmque cerebrum
Imbuit, vt molli ac multo perfusa liquore,
Perfacilè in nimium rapiantur lumina somnum
Lenta ægros sequitur febris, putrescit in illis
Nempe humor, magno semper comitante sopore.
Quin pulsus mollis tangentibus esse videtur
Vndosúsque simul medicis, spiratio rara
Ac infirma nimis, totúmque ignauia corpus
Implicat & sensus omnes mentémque animúmq;.
In quo decumbit patiens splendere cubile,
Non sordere decet, succensóque igne camino
Tota domus niteat, procùl abscedántque tenebræ,
Et vapor, & nebulæ & fumi, sit lympidus aër:
Quòd si natura non sit, venit arte parandus.
Sit tenuis victus ratio, incisoria, siccans:
Montanisque auibus, turdis, tenerísque columbis
Vescatur, pullis, pingui ficedula, alauda,
Passeribus, capúmque suo dignetur honore,
Ille domi fuerit quamuis & natus & altus,
Dum modò captiuam vitam non egerit: æger
Insuper vtatur perdice atque ortyge, at assis,
Et tenui & modico non indignetur Iaccho.
Fœniculum, asparagum, sinapi, cæpe, allia, porrum,
Sampsucum, mentam, tymbram, nasturtium, anisum,
Serpillum, costum, calamentum marrhubiúmq;,
Quæque tibi minimè possemus dicere paucis,
Accipiat, magno qui sumptu viuere nescit,
Cocta tamen, ne foriè caput repleatur ab illis,
Parciùs ista ægro tamen accipienda memento,
Suspitio cum febris adest latitantis in illo,

Tum

Tum ptisanæ succo, & dulci vescatur auena,
Atque alica, impositis tymbra, porróq; thymóq;,
Serpillo, hyssopo, sampsuco, pullegióve.
Quod nimiũ tamen est fugiens procul atque relinquẽs.
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.
Si nihil impediat, vena mittendus aperta
Sanguis erit: quod si quicquam dissuaserit istud,
Acribus vtendum clysteribus, vt fluat aluus,
Ac opportuna se fæcibus exuat hora.
Quòd si ventriculum patientis nausea vexet,
Vt vomat efficies leni medicamine sumpto,
Quale quidem tibi nos paulò præscripsimus anté.
Aut fortè adstrictam subduces leniter aluum
His quæ phlegma nocẽs, ducúntq;, trahúntq; deorsum,
Tendere quò quærat semper natura reuoluens.
His ita dispositis, topicis vtêre decenter
Præsidijs, veluti nasalibus, vnguinibúsq;,
Atque alijs multis, quorum tibi copia dicta est.
Sub prunis squillam, vel coctas accipe cæpas,
Iridis ex oleo pistillo contere duro
Ad tria grana, illis miscens euphorbia dictis,
Fiat & emplastrum capitis pro parte dolente.
Innumera auxilia certè hîc numerare valerem,
Quæ labor, ars studium, quæ rerum repperit vsus,
Ni refugis, tenuésq; piget cognoscere curas.
Sed tute ex alijs possis tibi quærere plura.
Quid Charõ, Catochũq; loquar quid coma profabor?
Quos omnes sopor altus habet quibus adsidet vsque
Exanguis somnus mortíq; simillimus atræ.
Hos inter rigidos quæ sint discrimina morbos:
Quid commune habeant, quid non commune sit illis,

Fontibus è claris possis haurire Galeni.
Si curare queas ex his affectibus vnum,
Demoliri alios simili ratione valebis,
Dum morbi causas, dum morbum noueris apté.
Nanque mali causam modò tu summoueris, vltrò
Relliquias pellent recreatæ in corpore vires,
Euchimi succi dapibus, medicaminibúsque,
Quæ cordi vires addunt, membrísque vigorem.
Hos ferme affectus omnes obliuio sueuit
Insequier, memori vitiata parte cerebri.
Hæc verò partim per se contingit, & ipsa
Adiungi partim rationis noxa videtur.
Affectus mihi nunc dictos, si fortè sequatur
Id vitij, certè poteris prædicere, quadam
Ex intemperie productam frigoris esse.
Humiditas persæpe malum producit, & ipsa
Nonnunquã ariditas vitij maligni sit causa & origo.
Quod cum per sese hæc possunt præstare, profectò
Iuncta magis multo poterunt offendere. quare
Hîc prudens causas medicus sapienter oportet
Inquirat, leprámq; lepra discernat ab ipsa,
Et per se exquirat quid distent æruа lupinis.
Posteriore igitur si nunc in parte cerebri
Sicca intemperies sita sit, desiccet & illud,
Inducátque malum, nullam ægri lumina noctem
Percipient, sed agent vigiles ex ordine noctes.
Humida si tantum, torpor somnúsque profundus
Nusquam aberit, quòd multã oculis nox incubet atra.
At si frigiditas coniuncta sit humiditati,
Lethargum, Charónque simul, catochúmque creabit.
Obseruare decet, num scilicet implicet illis

Membra sopor gelidus, num sit dormitio talis,
Quæ facilè ex oculis labatur murmure leni,
Num nares oculi, os, laborúmque humore madescant,
Num desiccatæ partes hæ conspiciantur,
Corpus & absumptis videas macrescere succis.
Pro varia causa ratio mutuanda medendi est.
Nanque per immodicas si noxa sit ista medelas,
Quæ totum corpus desiccauêre, capútque
Inducta, ægrum epulis poteris recreare benignis,
Præsidio alterius nusquam medicaminis vsus.
Nanque recollectis epularum viribus esu,
Posteriore redit memorandi parte facultas,
Spiritibúsque opplet vacuos in vertice ventres,
Accrescitque animæ virtus diuinitus, omnes
Vnde fluunt sensus, manántque in subdita membra,
Actióque omnis ad hæc cuius vi fungimur ipsi.
Per neruos etenim viuentum in corpora & artus
Sese diffundit cœlestis vis animai,
Corpoream exercens molem, séq; vndique miscens.
Vnde hominum pecudúmq; genus, pariterq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Hac ratione queunt demum sentire, moueri,
Olfacere, audire, & gustare, & tangere: quippe
Ollis sensus inest, necnon cœlestis origo
Seminibus, quantùm non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundáque membra.
Si verò effœta extiterit virtute senectus,
Incassum contrà tendis, frustráque laboras.
Ecquis enim vitium queat emendare senectæ?
Sat fuerit dapibus, si tutè vtaris opimis.
Quòd si aliquem subitò cunctarum obliuio rerum

Apprendit, causæq; latent errore patente,
Est aliquis grauis affectus, morbúsque timendus.
Prouideas igitur, ne quid quod rere futurum
Contingat, patiénsque malo tentetur acerbo.
Iisdem præsidijs morbos expellimus omnes,
Quis nos conamur nobis arcere futuros.
At si morbificas comitetur passio causas,
Lethargum, charum, catochen nitemur (eo quòd
Sint morbi causæ istius) detrudere longé:
Ordiri semper par est à fonte malorum,
Inducias morbi si dent, nec sæuiter vrgent.
Esto igitur vitio quis detineatur ab isto,
Ex intemperie quam frigus fecit, oportet
Omne calorifico frigus medicamine pellas.
Occiput vnguento tali, caluâmque & vngens:
Ireos vna olei semuncia, castoreiq;
Semissem tantum dragmæ, galangæ, acoriue
Accipiat, modicum cui pheri, iungésque pyrethri,
Adiecta molli cera formabitur vnguen.
Sacculus huic etiam poterit perquam vtilis esse.
Stæcados & tymbræ florum, rorisque marini
Semissem capies quauis de parte manipli,
Tantundem rutæ, calamenti, pullegiíque,
Ligni aloës, macis, piperis, longíq; nigríq;,
Dragmæ semissem, contusis omnibus aptè,
Sericio ex panno formetur sacculus ægro
Profuerit posthæc acori conditum valdè,
Quódq; ex viperea medicamen carne creatum est,
Antidotíq; aliæ plures quas quisque requirat.

FRAN

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER QVARTVS.





PRAESCRIPTIS *morbis ferme Apoplexia sueuit.*

Adiungi, ante alios longè teterrima. quippe
Principio patiente venit. genus vnde propagat
Neruorum sese & partes mittuntur in omnes,
Vt motum sensúmque habeant animalia quæque,
Discernántque illis quæ sint tristantia, membra
Omnia quæ affecta hoc abolentur prorsus acuto,
Sentit enim nihil hoc morbo quicunque tenetur,
Haúdque potest aliter sese hinc, aut inde mouere,
Quàm si dura silex aut stet marpesya cautes.
Non animo potis est rerum discernere formas,
Non aliquo affecta tentari mente dolore.
Tum fit cum multus, crassúsque ac viscidus humor,
Ventriculos cerebri miseros complerit abundè &
Confertim, vel vbi casu grauis ictus ab alto,
Aut alia id genus, in partes cecidêre cerebri,
Caluáque fracta manet, vel non ea læsa videtur.
Hac ratione itaque inualidum infirmúmque cerebrum
Efficitur, promptéque in se virtute minuta
Propultrice, sibi succum coacervat iniquum.
Concussa vero calua, substantia sæpe
Opprimitur cerebri, sitque hîc mortalis egestas:
Quamuis parte aliqua vix sit caluaria læsa.

Nuper enim quendam iuuenem conspeximus ipsi,
Ære sonorifico dum non aduerteret ictum
In capite, atque animam subitò efflauisse, tametsi
Illæsum nobis cranium spectare liceret:
Mille modis mors, accidit Apoplexia mille.
Nam simile est folijs hominum genus omne caducis,
Quæ nunc nata vides, pulchrísque virescere syluis,
Autumno veniente cadunt, simul illa perurens
Incubuit Boreas, quædam sub verna renasci
Tempora sic vice perpetua succrescere lapsis
Semper item noua: sic alijs obeuntibus vltrò
Succedunt alij iuuenes virtute grauatis.
Fit nonnunquam etiam brumali tempore, multùm
Aëris occursu gelidi, quando illius ingens
Frigiditas cerebri ventres constringit & arctat,
Haúdque potest clausis exire meatibus humor.
Ante malum cedit capitis teterrimus angor,
Et grauitas ingens, venarum elatio frontis,
Ac iuguli, splendórq; oculis se fulgidus offert.
Et caput, & cerebrum volui simul omnia circum
Credunt, & sensus densa obtenebrescere nocte.
Extremæ partes, nulla ratione patente
Algescunt & cor, corpus quoque palpitat omne.
Torpescunt dentes stridéntque a tempore somni,
Et lotium reddunt crassum, paucúmque, nigrúmq;,
Cuius hypostasis est crassissima, more farinæ.
Omnis sensus abest, nigráq; simillima morti
Corpora sunt, imáque iacent tellure reposta,
Et perijsse putes penitus ni stertor inesset.
Tum verò affectus censetur pessimus esse,
Ægrè cum trahitur, fessis pulmonibus extrà

Spiritus,

Spiritus, & medio se rumpit anhelitus ore.
Maxima quippe subest, ac pessima noxa cerebro.
Aëris impeditus iter, obstipánsque meatus,
In subiectas ne partes labatur, eátque.
Quò demum fieri possit spiratio recta,
Et se pulmones, & cor diffl are per illos.
Sæpe senes quòd sint vitioso humore refarcti,
Quódque grauet pituita illis, stomachúmque, capútque,
Incurrunt genus id morbi, sed tempore brumæ
Præsertim, cum tunc pluuiæ dominentur & imbres.
At si florenti contingat fortè iuuenta,
Aestatis medio, cum feruidus ingruit æstus,
Quis non ingentem morbi pronunciet esse
Perniciem? siquidem quam pessima causa subesse
Arguitur, tantùm iuuenili in corpore pestem
Producens, quam vix multis è millibus vnus
Fugerit. Hyppocrates nec enim malè dixit, eum, si
Sit fortis, morbum, nullis rationibus vnquam
Curari, si non fortis sit, tollier ægré.
Quò magis anniti decet, atque intendere vires,
Vt præstemus opem miseris, quoddámque leuamen
Naturæ, quæ nempe solet mortalibus his in
Morbis sponte aliquando sua mirabilis esse,
Nonnunquam & morbos vltro superare cruentos.
Qui quacunque homines possunt curarier arte,
Sanguis eis mitti è cubito debebit vtroque,
Si valida id sinat & virtus & tempus & ætas,
Præsertim in venis multus si sanguis abundet.
Nam veluti dolia abrumpi plerumque videmus,
Sunt vbi plena nimis musto, vinóve recenti,
Ni sint mordaci properè perfossa terebro.

(Feruida quo possint difflari vna vapore)
Sic in nonnullis interdum copia tanta
Sanguinis exuperat, sua conceptacula, nempe
Venas distendens, vt vel sit grande periclum
Has rumpi, & pleno decurrere pectore sanguen,
Vel certè extingui innatum ingenitúmve calorem.
Sæpius interea clysteribus acribus aluus
Ducenda est, necnon immissis glandibus aptè
Educunt siquidem humores, fæcésque reuellunt.
Quin hieræ picræ permultum pulueris vsus
Profuerit, si tres dragmas præceperis, huius
Antidoti ammiscens aliquid, quam vipera condit.
Hæc permixta simul calthæ viníque liquore
Dissolues, & in os patientis rite refundes.
Partibus extremis impones vincula, fiet
Frictio, nulla frequens, & pannis aspera duris.
Proderit, & duro defixa cucurbita dorso,
Igne micans scissa scalpello carne potenter.
Auertas magnam quo partem materiei
Anthemidino oleo caput irrorare & anethi
Huic licet, & tutò id possis, me iudice, deinde
Iridis, & rutæ, de querua, castoreóque,
Atque alijs breuiter quibus est vis discutiendi.
Profuerit sinapismi etiam patientibus vsus.
Qualis qui recipit sagapeni, castoreíque
Dragmam vnam & semis, sinapis tres, fortis aceti
Quod satis est, oleo costino hæc excipe, déque
Castore, & emplastrum solita formabitur arte:
Adiecta cera quantum satis esse videtur.
Vel ficus cape præpingues, leuiter coque, deinque
Cum sinapi duplo mixtas contunde, tibíque

Fiat

Fiat ad emplastri commixtio tota figuram.
Dictis euphorbi tantillum iungere possis.
Exin candenti si tu sartagine totam
Calfacias caluam, rasis tamen antè capillis
Conferet, adiuti plerique sæpe fuêre.
Hoc si vitârit quisquam fortasse periclum,
Non erit hic tota morbi de parte solutus.
Corpus enim crebrò resóluáque menbra subinde
Conspicies, tristémque hominem traducere vitam
Interdum, violata animi ratione manente.
Semper enim rerum quæ sunt deterrima vincunt.
Relliquiæ siquidem remanent plerunque malorum,
Et reliquiæ obdurant persæpe in tempora vitæ.
Hunc nanque affectum paralysis sæpe secuta est,
A' multo, crasso, lentóque humore profecta.
Neruosas siquidem partes quando imbuit humor
Viscidus, & neruos opplet, tunc nanque meatus
Obstruit impediens vt non à principe parte
Ad sibi suppositas animalis spiritus omnes
Descendat partes, sensúmque impartiat illis.
Aëris hac ratione potest immensá aliquando
Frigiditas gelidǽque simul, boreǽque potentis,
Neruosi rursum generis compressio magna,
Et motum & sensum prædari corporis omnem.
Omnia quæ obtutu primo deprendere possis.
Est nullis nec opus signis tunc, indiciisve.
Arte tamen debes quadam perquirere causam,
Hac vt discussa, morbus quoque discutiatur:
Sit ratio victus desiccans extenuánsque:
Sit calidus, patiens in quo versabitur aër
Et siccus, fraudet genium ventrémque coarctet.

Paulatim mandat, fructus piscésque relinquens.
Et quicquid breuiter, pituitam gignit & auget.
Euchymi ſucci ergò cibis veſcantur & aſſis.
In potu mulſam ſumat, cui ſaluia iuncta
Vtraque ſit. nam cum morbus declinat abítve,
Tunc vini tenuis tantùm conceditur vſus.
Motu exercitio vtatur mediocribus, omnes
Dimiſſas curas faciens, ſomnúmque diurnum,
Imperet illicitis affectibus omnibus idem,
Γάστρῳ μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνῳ, λαγνείῃτε,
Καὶ θύμῳ. *poſſunt etenim plerunque nocere.*
Principio venam incîdes. ſi tempus & ætas,
Si regio atque habitus nobis permiſerit ægri,
Præcipuè quando pletoræ ſigna ſuperſunt,
Et toto plenæ turgeſcunt corpore venæ.
Id tamen, vt præstes prudenter, conuenit vnum,
Déque trahas tantum quantum ſatis eſſe videtur
Naturæ, morbóque viri de parte tamen qua
Sanius eſt corpus, memor esto educere ſanguen.
Interea tribus aut quatuor requieſſe diebus
Ægrum permittes, exin clyſteribus aluum
Subduces, aut molli aliquo medicamine quale
Sæpe tibi dictum, poſſiſque recurrere ſuprà.
Decoctis intrà demum, ſumptiſque ſyrupis
Vt par eſt, craſſos humores atque tenaces
Incîdes, hos vt meliùs pugare potiſſis
Poſthæc atque omnes fæces protrudere. verùm
Non fuerit ſatis hos ſemel expurgaſſe, iterúmve,
Aſt interiectis multis perſæpe diebus,
Id facies, donec decedat corpore morbus:
Initio ſemper leuius, dein fortiꝰ ægro

Præſcribens

Præscribens. pedetentim etenim leuioris ab vsu
Ad medicamentum vehementius ire necesse est:
Quæ sensim fiunt prosunt, contraria lædunt.
Postquam totum corpus purgaueris aptè,
Quos confirmandi vis est, præscribere par est,
Quo se ventriculus robúrque recolligat omne,
Atque coquat meliùs congesta cibaria, vt ipsi
Sit chilus massæ bene materia apta futurus
Sanguineæ, quo dein partes foueantur inanes,
Et toto tandem solidentur corpore vires.
Hinc medicamentis purgato ventre decenter,
Hæc ad quæ vulgò sunt dicta localia tutè
Deuenies, quorum facta est tibi mentio suprà,
Quæ nobis toties non est memorare necesse.
At verò capiti morbi genus vnde malignum
Exoritur, vitij totius pendet origo.
Sunt quæ calfaciunt medicamina discutiúntq;,
Apponenda, velut mentastrum, castoreúmq;,
Peucedani & radix, calamentum, mentha thymúmq;,
Et lauri baccæ, satureia, saluia, eorum
Coxerit irino si quicquam forsan olino.
Omnibus hisce tamen modicum infundatur aceti.
A' leuiore tamen fuerit procedere semper
Tutiús, hócque tibi memori sit mente repostum,
His in qui longi sunt morbi, dántque medenti
Inducias. Oleis igitur melioris anethi,
Anthemidis, meliloti etiam, déque iride primùm
Vtere, de querna quoque suscinóque vocato,
Vt natura mali id fortasse illúdve requiret.
Ad meliora ex his poteris procedere, nempe
Laurinum è costo, vulpinum è vermibus, vnà

De latere euphorbi cum ruta, castoreóque.
His vnguenta quibus possis adiungere rectè
Est quis calfaciens & discussoria virtus:
Aregon, agrippæ & quæcunque simillima sunt his:
Quæ parti appones cum tempus postulat aut res.
Porrò cucurbitulæ leues patientibus aptè
Affigi possunt menbris, vt sanguis abundè,
Spiritus atque calor, partes retrahantur ad ægras.
Quòd si non liceat, vicinis partibus addes,
Atque vnges iterum molli medicamine corpus,
Conueniente tamen, ceratorúmque aliorúmque
Haud quaquam temnat, si vult sanarier, vsum.
Ægris profuerint & thermæ, & balnea multùm,
Hæc si præsertim rerum natura creatrix
Sponte sua dederit, seu sulphur, alumen ea in se,
Seu sal habent hæc, viscosum quòd phlegma resiccent.
Istud sæpe senes vitium elanguente calore,
Apprendit, nec eo sane se absoluere possunt,
Ni vel adhuc sit cruda illis viridísque senectus,
Neu vis vsqueadeo morbi violenter inhærens,
Nacti sintque virum medicum doctum atque sagacem.
Et morbi species alia est ἐπιλήψια *dicta,*
Qua raptos terræ videas incumbere cœno,
Diuellique illis omnes in corpore partes
Ex interuallo mentísque animique vigorem
Oblædi positósque omnes in vertice sensus,
Corporis atque animi status hic contrarius ipsi
Anteit arbitrio, sequitúrque obliuio rerum.
Nam dolor internus, mœror, curæque fatigant:
Illorum tristes animas, cerebrumque caputque
Afficiunt grauiter, turbántque vaporibus atris.

Palliditas

Palliditas faciem turpat, motúque mouetur
Lingua aspro, fixíque ipso cum gutture dentes,
Spumosúsque ægro multus fluit humor ab ore:
Apprendunt linguam nonnunquam dentibus atris,
Nonnunquam strident, stertunt & vociferantur,
Et totum rapitur corpus persæpe tremore.
Nonnulli cùm se dapibus vinóque replessent,
Mutuáque inter se læti conuiuia forsan
Curarent, tetra morbi grauitate prehensi
Procubuere. etenim teneris sunt frondibus omnes
Persimiles homines, nunc læti alacrésque fruuntur
Terræ muneribus, nunc destituuntur & arent.
Est sine felle nihil, nulla est syncera voluptas.
Sunt autem morbi species tres: Prima cerebro
Fit patiente ipso. siquidem cum viscidus humor
Et crassus ventres eius stipârit abundè,
Sese concutiente illic virtute animali,
Vt quod eis noxæ est, quò non sua munia possint
Perficere, excutiant longè pellántque deorsum.
Altera ventriculi vitio dependet ab ipso,
Illius aut oris corrupto humore repleti,
Consensus ratione. tibi nam diximus antè,
À cerebro neruos stomachum descendere in ipsum,
Eius qui partes contexunt interiores.
Vnde illi sanè multum sensoria vis est.
Ergo ventriculus si multo humore grauetur,
Et contrà infirmo contenderit ipse calore
Sufficiente illum minimè dissoluere succum,
Aut coquere, è stomacho se copia magna vaporum
Eleuat, ínque caput miserum cerebrúmque feruntur:
Ægrè fert istud fumos, animalis & ille

Spiritus

Spiritus, intendúntque suo pro robore vires,
Et contra pugnant Si tetros fortè vapores
Excutiant abs se, longéque retrudere possint,
Sic sanè in cerebri commotis omnibus arce
Spiritibus, cerebro offenso, neruísque profectò
Omnem etiam sensum lædi, motúmque necesse est:
Non aliter quàm si duro certamine princeps
Sit victus, nullúmque suis præstare iuuamen
Militibus valeat, grauiter quatit horridus illis
Ossa pauor, pendétque viro sors omnis ab vno.
Tertia contingit species cum frigida sursum
Nescio quæ aura venit nimirum è partibus imis
In caput & cerebrum, patiens & sentit idipsum,
Et contrà tendit virtus animalis agitque.
Hæc tamen est rarò species contingere visa.
Hoc vitium rarò quenquam florentibus annis
Inuadit, raróque senes. nam mollia ferme
Menbra tenellorum puerorum vexat & angit.
Huic autem morbo quisquis coëunte Diana
(Virgineum quamuis florem vouisse feratur)
Venerit in lucem vitales carpat vt auras.
Dicitur à doctis infans obnoxius esse,
Vt qui concepti pueri fortasse fuêre,
Tempore quo purgant muliebria viscera menses.
Complures crebrò repetens vehementia morbi
Opprimit, inducens vitæ plerunque periclum.
Interdum morbus longos differtur in annos,
Quando nimirum radices egerit altas.
Hinc pubertatis ni cesset tempore, vel cum
Defluere occipiunt menses, aut matris in aluo
Fit fœtus, mortem assueuit comitarier vsque.

Attenuan

Attenuans victus simul incisorius esto,
Non autem crassus: calidus siccúsque sit aër,
In quo versatur patiens, & lympidus. illic
Monticularum auium vescatur carnibus, omnes
Euitet reliquas, olus omne, legumina, & aptos
Corporibus succum viscosum gignere pisces.
Diluto vtantur tenui, modicóque Lyæo,
Aut mulsa, vinum linquat, vitétque meracum.
Abstineat cæpis, sinapi, porrísque, relinquens
Omnia quæ sursum possunt attollere fumos.
Potus & esca, Venus, somnus mediocria sunto
Omnia, nanque nocent excessus omnibus omnes,
Præsertim magni. μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.
In genus id morbi si fortè incurrerit infans,
Subsidijs multis tentare extrudere morbum,
Non opus est. nam sæpe malum, crescentibus annis,
Sponte sua cedit, tenuésque exhalat in auras.
Propterea infantum, necnon nutricis habenda
Conueniens vitæ ratio est. nam suauibus escis,
Euchimísque cibis vti debebit vterq;.
Si nondum fuerit puer ablactatus, oportet
Ante cibum sese nutrix exerceat omnem
Luxuriam vitans: Veneris commercia mutant
In peius, succo vitiato, lactis odorem.
Hinc fit & humidius, menses & proliciuntur.
Quid multis? paulò antè mihi ratiòne ciborum
Præscripta vtatur, quò scilicet efficiatur
Siccius, atque magis calidum lac, quod trahat infans.
Ast oleo caput ipsius foueantur, anethi,
Ireos, & spicæ, è querua, lauróque, aliísq;:
Despumati aliquid possis concedere mellis.

Subscripti

Subſcripti quoque profuerit medicaminis vſus:
Accipe bis ſeptem dragmas bene ſacaris albi.
E' nucibus paruis olei quod ſufficit adde,
Infantis teneræ donetur lingere linguæ.
His vni modicum liceat coniungere cornu,
Et modicum viſci quercini, non ſine magna
Vtilitate etenim vitium compeſcit & aufert.
Nam de Pæoniæ melius virtute tacere
Nunc fuerit quàm pauca loqui, quando illius ingens
Ac miranda ſimul manet in radice poteſtas.
Huius vis etenim tanta eſt (teſtante Galeno)
Vt ſi ſit collo viridis ſuſpenſa, caducum
Auferat extemplo vitium, mirabile dictu eſt.
Ampliùs & nullum iuuenem ſymptoma fatiget.
Ergò dicta viri memori ſub pectore conde.
Pæoniæ fas eſt etenim mihi tangere laudes
Poſt alios, viréſque eius perſtringere paucis.
Fortè malo hoc puer hoc menſes miſerabilis octo
Decubuit, cuius ſanè vehementia tanta
Extitit auxilijs vt non locus eſſet in amplis,
Vnde puer quicquam melioris ſortis haberet,
Pæoniæ actutum collo radice virentis
Appenſa ſymptoma malum ſimul omne recedit,
Hócque fuit toto ſpectatus tempore liber,
Sed poſtquam collo radix appenſa dolentis
Excidit, ipſe iterum redit in præcordia morbus,
Suſpenſáque iterum ſubitò radice receſſit.
Ex hoc perpetuo puer egit tempore tetri
Immunis morbi, nec quid quereretur habebat,
Eſt autem geminæ ſpectabilis herba figuræ,
Nimirum folio ſibi mas iuglandis honorem

Nactus

Nactus dodrantes geminatos vertice adæquat,
Tollonésque edit multos at fœmina ritu
Smyrni, diuiso est folio siliquásque supremo
Caule gerit, similésque nuci dum fortè dehiscunt:
Plurima grana intus rubri spectanda coloris
Apparent. tenera & radix & sesquipedalis
Hæret humi, alba, velut quodam candore niuali,
Quæ vel mole æquat digitos vel vincit eosdem:
Aut septem aut octo ceu glandes, fœminæ adhærent
Radici soboles. Nostris ea crescit in hortis.
Montibus at potiùs gaudet mas. Floret vterq;
In Maio flore egregio paritérque decoro.
Est acris leuiter radix & amara, parúmq;
Siccando astringit, menses tamen excitat, hepar
Expurgans tenui è vino si sumpta, meróq;
Ipsa sit. at vinum fuerit si forsan acerbum,
Austerúmve illud, iam fluxus comprimet alui.
Liberat & morbo pueros appensa caduco.
Herbæ Pœoniæ talis vis dicitur esse.
Hîc magnus voluit causam assignare Galenus,
Quî fiat morbum radix appensa caducum
Auferat, abiecta subitò radice recurset.
Aut partes (inquit) quasdam ab radice virenti
Defluere hincque trahi, fit dum inspiratio, sicq;
Affectos curare locos, aut aëra circum
Nos fusum assiduè tali ab radice valenter
Mutari, hócque modo siccare melanthion ipsum
Affrictum humorum in fauces naresque fluorem.
Idque palàm si quis raro calidóque ligatam
Linteolo, naso admoto incessenter odoret.
Sed non est mirum præstare hoc posse nigellam.

Calfacit hæc siquidem multùm, pariterque resiccat.
Illo nempe gradu qui tertius ordine fertur,
Tenuiúmque simul (ceu dicit) partium habetur.
Vnde etiam in panno potis est inclusa catharros
Et nocuas olfacta diu cohibere corizas.
Est subtilis enim, sicci validíque caloris,
Quo tenuat succum absorbens olfacta fluentem.
Hac ratione ergò spica, hyssopúmque, thymúmq;,
Granáque tinctorum, stæcas, pariterque cyperus,
Sampsucum & cestrum poterunt prodesse catharris.
Ergò nigella quia extenuat, siccátque, calétq;
Fluxibus à cerebro in fauces conferre videtur.
Pæoniam verò quoniam sit sicca, caléns q;,
Et subamara simul, morbóne valere caduco,
Et sanare omnem, nos hac ratione feremus?
Non herclè, id reliquæ pariter præstare valerent
Temperies quibus est compar. Iccirco fatendum
Pæoniæ infusas vires diuinitus esse,
Auferat vnde malum radix appensa caducum.
Qua ferrum siquidem magnes ratione, leuésq;
Succinum paleas trahit, ad sese elleborúsque
Sæpe melancholiam, pituitam cnicus, amaram
Barbara sed bilem radix: aut fraxinus hydros
Vt fugat, & nidor cerui de cornibus vstus,
Rutáque, glycysidis: sic radix sueuit eadem
Hac ratione malum, quæ nunc epilepsia fertur,
Imposita collo radice, extrudere longé.
Porrò si patiens puerilibus excidit annis,
Atque malo premitur, par est diducere partes
In rectum tortas, illas & inungere totas
Conueniente oleo, vomitum pariterque ciere,

Vt

Vt pituita foras, humórque incoctus in ipso
Ventriculo infarctus, vacuetur & exeat omnis.
Quòd si vix patiens possit diducere dentes,
Interponetur cuneus vt ligneus ori.
Hinc laserpitij succum, mox castoreúmq;,
Apto aliquo, & liquido dilutum nempe liquore
Inijcies. Sanè sunt & quæcunque farinæ
Istius, & morbo possunt conferre caduco:
Tunc & odoriferis illius odoribus ambas
Quauis arte decet nares, sensúmque mouere.
Peucedani. & sylphi succus, ruta, allia. porro
Hos in conuenient vsus, paritérque bitumen:
Clysterem mox immitti glandémque iubebis.
Tum demum antidoto corpus purgetur amaro,
Et dapibus tandem stomachum recreabis amicis.
Atque hæc sit nuper geniti curatio morbi.
Sic verò in veteri fiet quocunque: Secetur
Scalpello primùm selecta in poplite vena,
Si vires, ætásque sinunt, si tempus, & ipsa id
Persuadet ratio, nec quippiam id impedit vnum.
Dein medicaminibus incidere crassos
Viscosósque decet genitos in corpore succos:
Quale est quod recipit sampsuci, pulegiíq;,
Intybi & hyssopi, absynthi, tymbræque, thymiq;
Marubij nigri, menthæ, Venerísque capilli,
Fœniculi, asparagi, linguæ cerui, ana maniplum,
Pæoniæ septem dragmas radicis. itémq;
Seminis eiusdem dragmas tres, fœniculíq;,
Stæcados atque anthos florum de quoque pusellum,
Aggarici dragmas septem, cnicíque medullæ
Tantundem: ad libram & semis decoctio fiat

Perlucente igni: formetur & arte syrupus,
Quem depurare, & multo cum sacare mixtum
Dulcorare decet, piperísque immittere quicquam.
His & moschatæ possis adiungere dragmam:
In sex accipiet summo de mane diebus,
Linquit dum croceum Titoni Aurora cubile.
Hinc medicaminibus reliquis purgantibus aptè
Vtere, relliquias possunt quæ pellere morbi,
Humoréſque foras detrudunt ventre retentos:
Qualia sæpe alibi, si nescis, scripsimus. Indas
Quas omnes pilulas cochiásque, vocare süerunt,
Accipito septem vel sex vel quinque, videbis
Impuræ fæces decurrere materiei
Ante breues horas, multósque erumpere flatus.
Ad robur stomachi, dum crastina fluxerit hora,
Antidoti veteris poteris præscribere dragmam,
Est quæ serpentis tyri de nomine dicta.
His ita dispositis nocuóque humore per aluum
Excusso & stomachi dapibus virtute recepta,
Ad tepidum possis descendere rite lauacrum.
Ad falsas costas figenda cucurbita demum
Clunibus ambabus, scapulísque decenter vtrisq;
Híncque iterum atq; iterum hisce locis finxisse licebit,
Hac ratione quidem diuertitur humor iniquus.
Dein interiectis aliquot recreare diebus
Ægrum conueniet corpus: tum rursus amara
Præscribi debent, donec malus exeat humor.
Occipiti rursum figenda cucurbita, multa
Cum flamma veniet dorsóve humerísve: sequenti
Luce ægrum dapibus par est recreare benignis,
Ne si deficiant exhausto sanguine vires,

Lampados

Lampados ignis vti absumpto euanescit oliuo,
Spiritus exhalet tenues resolutus in auras.
Nam licèt excellat generoso in pectore virtus,
Menbra tamen si fluxa siti esuriéque laborent,
Languescunt genua ægra labant, & crura vacillant,
At si pasta cibo, vinóque refecta suaui
Corpora sint, tolerant morbos, pugnáque laborem.
Interea in mulsa panis recoquatur, amaris
Iniectis aliquot nucibus, rutáque, thymóq;,
Vel calamento etiam, vel symbra, pullegióve.
Isthæc sint ergo capiti cataplasmatis instar,
Pérque dies id tres maneat, rasisque capillis,
Peucedani succo diluto in fortis aceti
Exiguo, quo cum serpilli portio pauca
Cocta sit, aut rutæ, caluaníque, capútque perunges.
Tum rursum dapibus recreato corpore toto,
Ægrotus purgandus erit, duntaxat amaris
Oblatis hieræ quatuor pro pondere dragmis:
Semper perspectis & morbo & viribus ægri.
Nanque iterum atq; iterum corpus purgare necesse est.
Et vires lapsas epulis recreare benignis,
Sternutamentis, aliísque localibus: inde
Hîc medicaminibus bene conuenientibus vti
Tutè potes, quò relliquias extrudere possis,
Et ferus à toto decedet corpore languor.
Profluat huic semper curabis leniter aluus,
Iniecto in ventrem stipatum clysmate molli.
His ita perfectis, vnguenta emplastráque queis est
Discutiens virtus, necnon linimenta decenter
Præscribes quorum formas tibi quæritò suprá.
At si ventriculi vitio contingat oriri

Id morbi, stomachum dapibus recreare studebis,
Euchimi succíque boni, quas concoquat aptè,
Fiat vt & chilus simul & laudabile sanguen:
Pane bono vtatur sale consperso atque subacto,
V'tque decet cocto, tenuíque vtatur Iaccho,
Montanísque auibus, pullis, tenerísque columbis,
Mollibus & turdis, pinguíque creatis
Gallina, necnon tenera perdice, vel ithi.
Euchimos siquidem hæc succos in corpore gignunt.
At verò rursum corpus purgetur amara
Præscripta ex aloë antidoto succóve rosarum,
Si forsan stomachus patientis bile redundet.
Quandoquidem assumpto, si sit pituita, recedet
Aggarico, aut alio simili medicamine. Sanè
Conferet & geminum crus scarificare decenter,
Morbus in oppositum quò diuertatur eátque.
Ast è particula quauis si passio fiet,
Siue manus sint siue pedes, pars fortiter acto,
Quæ suprà posita est, debet fune ligari:
Hac sursum ferri impedies ratione vaporem.
At verò morbus cum se malus ipse remisit,
Emendare quidem toto conabere nixu
Affectæ partis vitiúmque intemperiémque
His medicaminibus, quæ possunt subsidio esse,
Et sedare malum: veluti quæcunque calore
Participant, tali vt possint placare dolentem,
Efficiendo cutim raram cum densa maneret.
Tunc si balneis, thermísque vtatur amœnis.
Sentiet ex illis magnum plerunque leuamen.
Mox quæ confirmant stomachum præscribito, quæque
Languentes possunt recreare in corpore vires.

Nanque timere decet ne cruda cibaria ventre
Permaneant, aliásque dapes superingerat æger,
Hoc nihil est peius, nil perniciosius vnquam.
Sunt etiam propria quædam medicamina, quæ vi
Conueniunt, veluti censentur cornua cerui,
Ossáque quæ fuerint hominum de vertice sumpta,
Pantarobi & radix luna pereunte reuulsa,
Quódque solet syluis brumali frigore viscum
Fronde virere noua, quòd non sua seminat arbos.
Hoc vitium innata quadam virtute resoluit.
His multísque aliys potis es detrudere morbum
Præsidys, nisi radices sic egerit altas,
Vt nullo tolli auxilio iam posse putemus.
Ecquis enim infirmos homines curauerit omnes?
Afferet aut ægris suprema in luce salutem?
Rebus in extremis extrema licebit adire
Præsidia, & ferro nonnunquam atque ignibus vti.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER QVINTVS.





NTER *tot rerum casus, bellíque tumultus,*
Tótque inter lites, ac tanta negotia, vestris
Pyerides mihi non licuit consistere terris,
Nec claros adysse lacus, nec Gorgonis vndas,

Ex quo me fortuna malis tot casibus egit,
Et prærepta mihi chari genitoris imago est.
Verùm quando omnes mortales vna manet mors,
Atque via est calcanda semel latissima fati,
Occumbúntque duces æquè regésque superbi,
Dites atque inopes pariter, iuuenésque senésq;,
Ménsque æterna manet nullos peritura per annos,
Patris ad effigiem summi, rerúmque parentis,
Carmine nos luctum, nocuas nos carmine curas
Pellamus, nos & placidè oblectemur in illo,
Cyrrha placet pectúsque iuuant Heliconidos vndæ,
Míque salubriferum nemus, vmbriferúmq; volupe est,
Plantarum prouentus vbi lætissimus atq;
Plurimus, vnde licet morbis legere apta futuris
Semina, radices, flores, succósque potentes
In genus omne mali, genus in quodcunque dolorum.
Este quoque hîc faciles, vestrúmque iuuate clientem.
Quem trito σπασμὸν dixerunt nomine Graij,
Dicitur à nostris vna conuulsio voce.
Hac detentus homo neruos musculósque vocatos
Conuelli sentit, sursúmque recurrere, sanè
Non ex consilio, quippe est sublata voluptas.
Huius forma triplex morbi est: Tetanósque vocata
Prima fuit, quando ceruix immobilis extat,
Nec nunc in partem hanc, nec nunc intenditur illam,
Perpetuo sed recta manet neque flectitur vnquam.
Ast amprosthotonos Græcis est altera dicta,
Cum caput in pectus ceruixque inflectitur vná.
Tertia opisthonos vulgato nomine fertur,
Cum caput ínque humeros dorsúmq; inuertitur. Huius
At morbi causas geminas statuisse memento

Hyppoc

Hyppocratem regem medicinæ totius artis.
Nempe κένωσιν καὶ πλήρωσιν *nomine Graio.*
Illam neruosæ dum conspiciuntur inanes
Particulæ, atque humore omni succóve carere,
Hanc sinit cum partes permulto humore madentes.
Nanque velut cytharæ chordas ac lora videmus
Extendi, vel cùm pluri humiditate replentur,
Vel desiccantur in isto vehementiùs omni:
Sic in corporibus nostris persæpe videntur
Neruosæ partes ipsas conuellere sese,
Aut humectatæ nimiùm succóve refartæ,
Aut exsiccatæ multo vehementiùs eædem.
Quin per consensum fieri conuulsio quædam
Sueuit, vbi quid parte aliqua primò patiente,
Ad cerebrum effertur: quod quò robusta repellat,
Vis cerebri quatitur, motúque mouetur acerbo.
Non à materia cui sit replere potestas
Neruosas partes, neque propter materiei
Defectum eiusdem, neruos quæ reddat inanes.
Nanque venenosa quadam ratione creatur:
Aura velut sese cerebri cum tollit in arcem
Fluxus, ac ventosa atro similísque veneno.
Qualis vbi quemquam contorta scorpio cauda
Compunxit, sensimque ipsum frigescere corpus
Sentitur, serpítque malum per membra venenum:
Aut vbi cum lecturus humi nascentia fraga,
Pastor adit iuuenis syluas, stabula alta ferarum,
Pérque amplos gradiens vepres, horrentia dumis
Pérque loca, immemor ipse mali, colubríque latentis,
In denso, spissóq; rubo pede comprimit anguem
Vipereum presso miser, indignatus at ille,

Atque venenoso tremebundum doctè momordit.
Exanimis terrore puer lachrymatur, & audit
Ad gemina ex imis ascendere crura venenum,
Et tumuisse videt, sensimq; increscere virus.
Deficiunt vires, & humi procumbit vti bos.
Si quem principio morbi conuulsio prendit,
Aut non post multum, quòd sit repletio tetri
Causa mali, per te possis ratione sagaci
Colligere: at si post varios, longósque sequatur
Hæc morbos, multos sordes, atque dolorem
Immodicum, vomitus crebros, aluíque fluores,
Sanguinis immodici defluxum è naribus, atque
Partibus ex alijs, sensit graue vulnus adactum,
(Id quocunque modo fiat) seu defluat ipsum
Sponte sua sanguen, viresque exhauriat omnes,
Defectus succi vitium ratione creatur.
Præterea hunc gignunt morbum mœrórque, faméjque,
Et ductæ ferme insomnes ex ordine noctes.
Quæ per consensum conuulsio gignitur, æger
Hanc tibi perspectam faciet, fidíque ministri.
Id vitij quando succi ratione creatur,
Complendo venas, complendo denique neruos,
In calida & sicca victus ratione manendum.
At cum defectus generatur nomine succi,
Humectante cibo patiens vtetur, opimis
Iuribus, enchimísque epulis, & mollibus ouis.
At morbi curam quantum nunc spectat ad ipsam,
Quando illum excedens in corpore procreat humor
Incipies ab eo, primùm vacuantibus aptè
Auxilijs sumptis. Si corpore sanguis abundet,
Educes sanguen. si phlegma redundet in illo,

Phlegma

Phlegma trahente aliquo vteris medicamine, semper
Educens illum quicunque superfluit humor.
Materia in primis tamen incidenda, coquenda,
Ac tenuenda venit. mox & conabere ab ipso
Corpore peccantes medicamine pellere succos.
Inde cucurbitulæ scalpello sed cute scissa,
Conuenient, si crura malum patientur, eas tum
Infiges coxis, spinæ partíque remotæ.
Quòd si fortè manus misero retrahantur.
Vertebris primis, dorsóque affixeris aptè,
Exin errhinis, reliquísque localibus vti
Possis, hac totum cerebrum ratione repurgans.
His demum rectè selecto tempore, valde
Balnea profuerint, si quis desideret vti,
Sulphureas in aquas igitur, salsásque, frequenter
Descendent, quibus & forsan miscetur alumen.
Sin minus, arte aliqua studióque parabimus illa,
Miscentes herbas nimirum conuenientes,
Abrotanum, hypericum, rutam, tymbrámque, thymúmque,
Camædrim, mentham, calamentum, pulegiúmque,
Sampsucum, necnon absinthia tristia iunges.
Conuulsæ verò partes seu menbra luporum
Pellibus, aut lino, aut lana foueantur oportet,
Vnguentísque ea, cum res ipsa expostulat vnges.
Proderit interea medicamina sumere, quæ vi
Prædita sunt calida, recreântque in corpore vires.
Inter quæ varijs extollunt laudibus ipsum
Castoreum, vnius si sumas pondere dragmæ.
Quod foris admotum pariter conduxerit ægro.
Exhaustis autem quæ fit conuulsio succis,

Maximus eſt morbus, nulla reparabilis arte,
Vel raró. mortalis enim teſtante Galeno,
Necnon Hyppocrate, atque aliȷs exiſtit. oportet
Attamen in ſummis etiam ſuccurrere morbis
Inter ſeſe homines, mortalibus eſſe fauori
Mortales, quis enim nouit conſulta deorum?
Magna ſalus ægris aliquam ſperare ſalutem.
Hos oleo molli, dulcíque fouebis inungens,
Dein ſolio vteris tepido, calidóve lauacro,
His infuſo oleo ſemper frondentis oliuæ.
Profuerit rurſum leniſſima frictio. Verùm
Quid moror? hac peſte affectos ac ſi æſtus adeſſet,
Qui ſolidas partes incendit corporis, atque
Omnem habitum, & ſucco venas exhaurit amico,
Molliter (vt par eſt ſemper) tractare memento.
Porrò ſi morbus viroſo animalis ab ictu
Dependet, ſtudium hoc fuerit, labor hic quoque, virus
Extrahere infixum, vulnúſque aperire patenter,
Vicinam circumpungendo cuſpide carnem.
Mox parti affectæ, inciſǽq; cucurbitula ingens
Cum flamma figenda venit, ſic cogit egeſtas,
Sic grauitas morbi, læſáque in parte venenum.
Illam ergo ſæpe affiges, & ſæpe refiges,
Extrahere hac virus tetrum ratione valebis.
Hunc quoque ad affectum facient cauteria multum.
Cum ſale tum demum lectiſſima ſemina porri
Accipiéſque teréſque ſimul. quod ſi allia, cæpas,
Et rutam admôris parti, bene feceris ægro.
Nanque venenato ſunt hæc contraria ſucco.
Poſt cruſtæ caſum ſanies purgetur. vt omnis,
Et tetrum tota abredat de parte venenum.

Quinque

Quinque & vndecies soles sensim effluere vlcus
Permittes, nullóq; sines coalescere pacto.
Nempe cicatricem subitò si duxeris, erras:
Sunt visi hac vna quidam oratione perisse.
Quod si contingat partis concrescere labra
Affectæ, tenui consperges puluere vitis,
Vitis quæ fuerit cineres inuersa calentes.
Quin cinerem ficus possis hunc vertere in vsum.
Marrubium confert, foliúmque anagallidos illis,
Illinat hæc si quis nimirum partibus ægris.
Quin & acetosæ radicis Ætius effert
Decoctum, partem dicens illo esse fouendam.
Antidotum verò Andromachi conferre Galenus,
Credidit, hæc quocunque modo caperetur ab ægro.
At quoties hominum quisquam se mole grauari
Ingenti putat, inuadi credítque perinde
Ac si spiritibus noctu culcetur iniquis,
Incubus id vitij rectè meritóque feretur.
Sunt quoque qui vetulas credant instare sepultas,
Séq;, suósque artus ingenti mole grauare.
Id crapulæ gignunt, & larga, & cruda ciborum
Congeries, quam ventriculus non conficit, atque
Nescit in effata dignum conuertere succum.
Ex hac, nescio qui crassi, tetríque vapores
In caput attollunt sese, cerebrúmque coactant,
Ventriculósque huius replent, stipántque replendo.
Hac prohibent ratione illi ne menbra facultas
Influat, & motum sensúmq; impartiat illis,
Qualem præbebat primùm dum nulla vaporis
Copia, nec fumi vis vlla nocentis obesset.
Hinc ægros deses motus comitatur, inérsque

A somno

A' somno sensus, sæpe & iugulantis imago
Obycitur, grauitérque hominem qui comprimat hostis.
Vel vox supprimitur, vel non certa exit ab ore.
Nam veluti nebulæ brumali tempore sæpe,
I'nque dies densa nubes caligine cœlum
Prætexunt solis lumen gratúmque calorem
Eripiunt nobis, pluuias ventósque ministrant,
Corporáque immutant hominũ, soluúntque grauántq;,
Aut vbi fit lunæ & clari coniunctio solis,
Producit qua sese eclyptica linea parte,
Eregionè tamen, fratri vt coniuncta draconis
In capite, aut cauda sit Phœbe, corpore denso
Ipsa suo faciens vmbram, interiecta decoros
Titanis nobis radios, & amabile lumen
Eripit, & tenebris terram suffundit opacis,
Et pestes toti mundo, cædésque minatur,
Insuper & terris latè sterilescere fruges.
Incubus, haud aliter, cerebrúmque animúmq; fatigat.
Quominus in totam solito de more feratur
Corpoream molem, diuinæ vis animai.
Impediens etenim motum, tollitque premitque,
Quotquot sunt, capitis sensus in parte repostos,
Perniciem subitam intentans, & grande periclum.
Non est difficilis talis deprensio morbi,
Cui ferre auxilium prima conabere luce.
Ne grauius peiúsque malum contingat ab illo.
Sit tenuis victus, flatus qui nesciт inanes
Gignere, quíve creet puros in corpore succos.
Potus ὀλιγοφόρος sit vinum, pluribus escis
Abstineat ventrémque grauant quæcunque relinquat.
Nocturno indulgeat somno, fugiátque diurnum.

Nam

Nam veluti valde confert vigilare diurno
Tempore sic nocturno etiam dormire salubre est.
Curandi ratio, si sit platoricus æger,
Perficietur, ei detracto sanguine, necnon
Quod vacuet ventrem certo medicamine sumpto.
Si vitium succi adfuerit. Tum nanque necesse est
Purgare humorem quisquis peccârit in illo.
Id ratio poscit, κακοχυμία id vna requirit.
Verùm perpetuò memori sit mente repostum,
Materiam in primis intrinsecus esse parandam.
Corpore purgato capienda localia demum
Pharmaca sunt, quæ nos toties iam diximus, vt nunc
Si memorem mihi res videatur inutilis esse.
Pæoniæ tamen hunc referunt extrudere morbum,
Præ reliquis semen, penitúsque abscindere causam.
Ast vbi quis læsa concepit mente furorem,
Μανία sit Græcis insania dicta Latinis.
Hoc vitio affecti dirarum more ferarum
Effrænes fiunt, clamant, currúntque furúntque,
Hanc à prædicta differre phrenitide dicunt,
Quod sit ei febres coniuncta, insania verò
Nullam habeat, quæ se saltem manifestet. ab atro
Sanguine nonnunquam vitium procedit, vbi amplos
Profluit in cerebri ventres, ac lædit eosdem.
Nonnunquam à prauis humoribus illa creatur,
Qualescunque sient, & fit plerunque calore
Immodico, quoties cerebri substantia feruet,
Turbatúrque alta virtus animalis in arce,
Circumsepta malis, tetrísque vaporibus, ipsáque
Æstuat, insolitæ nusquam formidinis expers,
Nusquam tuta sibi, sempérque vagatur & errat.

Non

Non aliter quàm si strictis homicida cathenis
Vinctus, carceribus summè teneatur opacis,
Dúmque timet pœnas, & iudicis ora seueri,
Horrescit tanti sceleris sibi conscius, atque
Confuso rapitur glaciato corde pauore.
Nec sanè mirum semper turbarier illos,
Tristari, mœrere diu, noctúq; timere,
Perpetuas illi tenebras, caussámque timoris,
Quando perpetuò secum videantur habere.
Præcedit læsa conceptum mente furorem
Debilitas capitis, sonitus qui plurimus aures
Vellicet, ante oculos quidam obuersantur, eúntque
Splendores, curáque animus vexatur acerba.
Aut rarò aut nullo declinant lumina somno.
Assiduus risus comitatur sæpe furoris
Illius speciem, qui sanguine pendet ab vno,
Haud dubiè, credásque ægros in spectra tueri
Nescio quæ, quibus ipsi animo sensúque mouentur.
Ast vbi purpureo nimium se bilis amara
Permiscet succo, cerebrum pungítque premítque,
Et positas circum menbranas tentat acutè,
Atque hîc maiores apprendunt mente furores.
At si flaua semel bilis, quam diximus, assa
Crassáque reddatur, calidóque exæstuet æstu,
Percipitur feritas plusquam rabiosa Leænæ,
Dum sibi per fraudem catulos inquirit ademptos,
Hanc nulla ratione potes, nec viribus vllis,
Nec duri strictis ferri constringere vinclis,
Sunt adeo læsa commoti mente furore.
Quæ fit cum quodam permixta insania risu
Tutior est, quæ cum studio non absque periclo est.

Viuendi

Viuendi ratio tenuis sit. sorbilis, atque
Exigua. & quantúm est satis pro viribus ægri
Seruandis neque enim stomachum satiare necesse est.
Lætetur, luctum vitans, causásque furoris.
Θυμὸς ὑπερχόμενος μανίην ὀλοόφρονα τεύχει.
Principiò si sanguis erit tibi causa fuisse
Visa mali, veniet solito de more trahendus,
Incisa vena cubiti tamen exteriore,
Quam si non possis, hanc quæ mediana vocatur
Incîdes, faciens sat latum cuspide vulnus.
Si nec eam possis, reliquam contundere debes.
Ast in malleolis semper tibi vena secanda est.
Si mulier quæuis suffert hunc fortè laborem,
Nanque modo hoc menses persæpe cientur ab illa.
Sanguinis at verò tantum exhaurire & necesse est,
Vis quantum tolerare potest patientis, & ætas.
Intereáque decet salientem tangere pulsum.
Intercisus enim satis admonet sanguinis isse.
His ita dispositis conere localibus aptè
Admotis capiti, longè depellere morbi
Relliquias, affuso oleo succóve decenti,
Quale quidem mellinum oleum, paritérque rosarum
Qualis & è violis siccis ambroca rosísque
Lactucæ & folijs flore papaueris albi,
Nymphæáque simul plantaginéq; endiuiáque,
Nanque melancholicũ hæc repriment de vertice succũ.
Talia multa tibi possem nunc dicere, nostros
Ni forsan teneros versus versare pigeret,
Iámque alijs animum malles intendere curis.
Interea est mollis somnus tibi conciliandus,
Ne si complures vigil exigat ordine noctes,

Corpore inanito, iam peiùs ſentiat æger.
Ergò ſoporiferi quodam medicaminis hauſtu
Tentabis molles oculis inducere ſomnos.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.
At ſi bilis erit nullo cum ſanguine mixta,
Hanc demum ſumpta antidoto purgabis amara,
Præſidiiſq; aliis bilem educentibus. æger
Inclinante malo, in tepidúmque vdúmque lauacrum
Deducendus erit, ſudet, morbíque ſubinde
Relliquiæ apto ſunt medicamine diſcutiendæ.
Sedata vt demum ceſſet veſania mente.
Sunt alij à recta pariter ratione remoti,
Quæs ſine febre aliqua fit deſipientia, tales
Eſſe melancholia multi dixere maligna
Affectos medici, ſanóque carere cerebro.
Hæc triplici ratione veniet, cum ſanguis abundat
Nempe melancholicus per venas corporis omnes.
Tunc per conſenſum cerebrum quoque læditur ipſum.
Nonnunquam verò reliquo qui corpore ſanguis
Conſiſtit, purus manet, innocuúſque tamen qui
In caput irrepſit ſolùm vitiatur ab vno.
Idque modo duplici fieri contingit, in ipſum
Aut aliunde venit, deriuatúrque ſubinde, eſt
Aut illic genitus vehementi nempe calore,
Bile aſſa effecta vel aduſto ſanguine facto.
Scilicet immodicus poſtquam calor æſtuat intus,
Exaſsátque omnem ſuccum, rubrúmque liquorem.
Interdum fit & hæc vbi ſunt hypochondria circum
Ventriculum affecta, & magno ſuccenſa calore.
Auram nanque modo tetram, fœdóſque vapores

In caput attollunt, modò partem humoris iniqui
Ad cerebrum, turbántque omnes in vertice ſenſus.
Nam velut à ſtomacho multi perſæpe vapores
Elati ſurſum lædunt mentémque, animúmque,
Obtenebrántq; oculos, hebetántque aſpergine nigra:
Sic à bile atra fœdo aſcendente vapore
In caput, aut fumo immodico ſymptomata circum
Eueniunt cerebri cellas, totúmque fatigant,
Obſcurántque omnes tetra caligine ſenſus.
Vtque vapor variè ſueuit plerunque moueri,
Et capitis varias aſſumit in arce figuras,
Se diuerſa malè affectis phantaſmata præbent.
Qualia ſæpe putant pueri ſe cernere cœlo,
Nubibus obſcuris quoties denſatur, & atris,
Nubiláque horriſonis protrudunt flatibus Auſtri.
Elatis igitur ſurſum de partibus imis,
Mania ſæpe quidem fumis contingere ſueuit,
Mania qua nihil eſt peius, nil tetriùs vna,
Quódq; magis miſeris vnquam mortalibus obſit.
Ergò melancholici triplex eſt forma furoris:
Vna quidem cum craſſus ineſt in corpore ſanguis,
Atque niger tantùm: verum altera quando cerebrum
Hic ſolùm humor habet, partéſque exaſperat eius.
Tertia cum miſerè fuerint hypochondria primùm
Affecta, & cerebrum tandem vitiatur ob illa.
Hanc ὑποχονδριακὴν ſimul ac dixêre φυσῶδην
Græci, vſi proprio ac vero ſermone, ſed & nos
Hanc hypochondriacam rectè appellamus, ab illis
Mutua ſumentes perſæpe vocabula, quam rem
Nos facere impellit Latij ſermonis egeſtas.
Et timor & mœror ſunt his communia ſigna,

Contemptúsque, odiúmque hominũ, atq; auersio demẽs.
Hoc vitio affecti nulla ratione timentes
Tabescunt, luctu ac diro mœrore prehensi.
Priuatim verò varijs plerique feruntur
Mentis imaginibus. plus quàm puerilibus illis.
Nanque putant alij bruta esse animalia sese,
Illorúmque feri motus, vocésque sequuntur.
Vt fuit ille olim qui se (testante Galeno)
Crediderat gallum, gallísque mouentibus alas,
Et de more suo certis cantantibus horis,
Cantabat, geminósque humeros, alásque mouebat:
Vsque adeo à recta cerebri ratione recessit.
Fictilibus vasis alij, vitrísque caducis
Esse putant sese similes testísque. proinde
Ne rumpantur y cedunt, venientibus vltro.
Sæpe timent mortem, lethum quoque sæpe cupitum
Infanda peperere manu, vitámque perosi
Proiecere animas quam vellent æthere in alto,
Nunc & tristitiam & duros perferre labores.
Fata obstant, tristísque palus inamabilis vndæ.
Quam præter nouies styx interfusa coërcet.
Quosdam Heracliti lachrymas, vultúsque seueros
Crassi, & Zenocratis faciem, frontémque Catonis
Et fœdam videas barbam vsurpare reorum.
Qui per consensum totius corporis, atra
Vexantur bile. his habitus gracilísque, nigérque,
Corporis est, hirtúsque simul, macer hícque videtur
Natura, primis seu tutis venit ab annis,
Sollicitudinibus seu sit quæsitus amaris,
Immodica cura, ac studio, varióque labore,
Aut morbo, escarum prauo seu pendet ab esu.

Corporis

Corporis hæc crassim permutant singula nostri.
At quod ventriculum circum de parte locata
Exoritur vitium, grauitas, ardórque locorum,
Atque acidus ructus monstrant, hypochondria tam se
Conuellunt sursum, calidóque premuntur ab æstu:
Arescit venter, faciésque: vruntur ijdem.
In tenui somno teterrima somnia fiunt,
Turbidáque & totam percurrunt vndique mentem.
Sæpe ingens sonitus geminas malè temperat aures,
Turbatúrque caput, positíque in vertice sensus.
Posthæc succedunt atræ symptomata bilis,
Quæ vomitu, flatu multo, ructúque leuantur.
Sit ratio victus nigram quæ gignere bilem
Nesciat, at suaues valeat producere succos.
Vdos ergo cibos capiat, coctósque decenter,
Pullos, perdices teneras, teneróśque palumbos,
Et quos de saxi dixerunt nomine pisces.
Vtatur vino tenui, crassúmque relinquat,
Gaudeat & curas animo deponat inanes.
Nam multùm grauitérq; nimis mortalia lædunt
Corpora, debilitántque animos, viréśque caducas
Efficiunt, hominem eneruant, dedúntq; senectæ,
Tempus & humanæ breuiant miserabile vitæ.
Sint procùl à nobis igitur suspiria, luctus.
Adsint lætitia, risúsque iocíque saléśque,
Omnia læta sient tristis dolor omnis abesto.
Huc pulchris veniat musis comitatus Apollo,
Clióq;, Euterpéq;, Thaliáq;, Melpomenéq;, &
Calliopæa sui longè pulcherrima cœtus.
Huc ludens cythara properet crinitus Iopas,
Adsit & Amphion, veniátque disertus Arion,

Museus ante omnes, cui mellea carmina curæ.
Necnon Threicius longa cum veste sacerdos,
Qui tygres flexit rigidas, fuluósque leones,
Et post se lapides vidit syluásque secutas,
Adproperet, meritúmque ipsi donemus honorem.
Si potuit manes accersere coniugis orco
Euridices, regnúmque feri Plutonis adire,
Arguta fretus cythara fidibúsque canoris,
Cur non hîc nobis poterit prodesse canendo,
Dum canit, atque lyræ percurrit pollice chordas,
Quotquot apud manes fuerant tunc temporis, vmbras
Leniyt, & suaui placauit voce dolores.
Nam stupuêre omnes, intentique ora tenebant
Aeacus & Minos nigri duo flagra baratri,
Gnosius & Rhadamantus, habet qui verbere sæuo
Castigare dolos, & cogere quenque fateri.
Quæ malè apud superos furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Non exaudiri gemitus, non sæua sonare
Verbera, non stridor ferri, tractæ'que cathenæ,
Non suspiria, non vagitus, non vlulatus,
Infantúmque animæ flentes in limine primo,
Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos,
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
Stant tacitæ Danai neptes, nec Sysiphus ingens
Fert saxum summi super alta cacumina montis,
Ore tenus refugam nec Tantalus expetit vndam,
Nec fixum celeres voluêre Ixiona currus.
Sunt quoque qui narrent superatas carmine sacro
Eumenydes posuisse animos. nec regia coniunx
Sustinet oranti, nec qui regit ima negare.

Euridicénque vocat. vmbras erat illa recentes
Inter, & inceßit paßu de vulnere tardo.
Hanc ſimul ac legem Rhodopeïus accipit Orpheus,
Ne flectat retro ſua lumina, donec auernas
Exierit valles, aut irrita dona futura.
Sed quorſum hæc, olim à doctis cantata poëtis?
Quò tendunt? ſanè vt curas mittamus inanes.
Sunt procùl à nobis igitur mœrórque, dolórque,
Vltrices curæ, luctúſque, & funebris ira,
Cunctáque læta ſient, languor ferus omnis abeſto.
Hortos inuiſat lætos, fontéſque ſerenos,
Et fortunatas ſyluas, ſaltúſque Lycæi,
Fluminaque & ſi vult, meliori nauiget aura.
Vidiſtíne locum potiorem rure beato?
Eſt vbi plùs tepeant hyemes? vbi lætior aura
Leniat & rabiem canis & momenta leonis,
Cum ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt vbi diuellat ſomnos minùs inuida cura?
Balnea dulcis aquæ poterunt repetita iuuare,
Hiſce aliquos etenim ſcribit curaſſe Galenus,
Præſcripta vdorum victus ratione ciborum.
Omnia præcellit ſomnus. nil promptiùs illo,
Nil meliúſque poteſt atras diſſoluere curas,
Conceptúmque animo citiùs lenire furorem.
Somne hominum requies, placidiſſime ſomne deorum,
Cui comes ante alias nox eſt fidiſſima ſemper,
Qui cythara, fidibúſque lyræ, cantúque ſuaui,
Mollibus & plumis gaudes, & pace beata,
Quíque etiam leni pluuia ſolaris & imbri,
Fontibus, ac riuis, raucéque ſonantibus vndis,
Huc venias, gratúmque oculis infunde ſoporem.

Corpus vbi totum repletur ſanguine nigro,
Atque adeo craſſo ſelectam incidere venam
Conueniet cubiti, quæ nunc mediana vocatur.
Aſt vbi duntaxat cerebrum vexatur ab atro
Sanguine, non video cur venam tundere poſſis,
Ni tum ſanguineus fortaſſe exuberet humor,
Aut præſeruandi iam mittas nomine ſanguen.
Si primò ac per ſe cerebrum foriè afficiatur,
Euchimi ſucci, dapibúſque ſuauibus æger
Veſcatur, quæ vdum poſſunt producere ſuccum,
Corpus & ipſum etiam totum humectare cerebrum.
Interea verò reparatis viribus ægri,
Materiam decocto aliquo de more parabis.
Tum demum humorem poteris purgare nocentem.
Accipe bugloſſi florum, ſimul & violarum,
Ana maniplum vnum, lupulorum, capparidúmque,
Ceruinæ linguæ, endiuiæ, paritérque meliſſæ,
Sampſuci, capni, polij, de quóque manipli
Semiſſem, ruſci radicum, fœniculique,
Ana decem dragmas, quatuor thymaricis amaræ,
Prunorum numeros ſeptem, iungantur ijſdem
Vuarum ſeptem dragmæ, epithymiq; thymíque
Ana duæ dragmæ, ſennæ ſex, roſmaridis tres,
In triplici tantùm fiat decoctio libra,
Donec dimidium calido abſumatur ab igni,
Depures ea tum, & dulcores ſacare par eſt,
Muſchatæque nucis conſparſo puluere pauco,
Endiuiæ, & capni ſi vis infunde ſyrupi
Sextantem, vel plus ſi tempus id exigit & res.
Ieiuno hoc ſtomacho decoctum abſorbeat æger.
Hoc dein purgetur totum medicamine corpus.

Accipe catthòlici dragmas sex, & diasennæ
Dimidium, antidotíque amech, maioris & indi
Semissem dragmæ, communi cum medicinæ
Decocto, quod erit satis hæc misceto, datóque
Sub lucem, capiet si quærit sanus haberi.
Accipe conseruæ, boraginis, atque rosarum
Ana vnam dragmam, misce pro mane sequenti.
Adiunges modicum diamosci pulueris illis.
Hæc iterum atque iterum repetes si postulet vsus.
Nil etenim cepisse iuuat, ni perficiatur,
Quod fortunatis auibus iam ceperis. Ergò
Incipe rectè agere, incœptum felicibus ausis
Prosequere, & rebus conere imponere finem.
Ast hemorrhoides fuerint si fortè retentæ,
In quoquam talem morbum patiente nocentem,
Aut etiam menses aliqua in muliere retenti,
Tales nitemur succos educere, quales
Sponte sua natura solet protrudere. quare
Sumpto aliquo ac proprio medicamine, menstrua tenta
Elicere, & venarum oras aperire tumentum.
Hac ratione potes patientibus vtilis esse.
Hoc etiam Hyppocrates verbis confirmat ijs sic:
Bile homini cuiuis vexato diriter atra,
Sanè hemorrhoides confert succidere. Rebus
His ita dispositis, medica nina iam tribuenda,
Quæ possunt animi tenebras arcere, simúlq;
Lætitiam pariunt, vires paritérque caducas
Restaurant, cordísque sinus, ventrésque recludunt,
Atque hilarem vultum faciunt frontémque serenant.
Tum mihi propterea generosum & læue requires,
Quod curas abigat, quod cum spe diuite manet,

In venas, animum etiam quòd verba ministret.
Nec gaudere, diu nec viuere corpora possunt,
Quæ saturantur aquæ potu, puteíve liquore.
Interea huius erit medicaminis vtilis vsus:
Accipe conseruæ florum, boraginis, vnà
Florum buglossi, necnon florum violarum
Ana octo dragmas, è gemmis pulueris, atque
Lætitiæ dragmam semis: subiunge dianthon
Dragmam vnam, è violis, sed dragmas sacaris octo,
Excipies modico buglossi cuncta syrupo.
Et capiat patiens vnius pondere dragmæ,
Ante tamen pastum, sic res, sic postulat vsus.
Irrorare etiam caput humectantibus ipsum
Decoctis minimè officiet, nec inungere oliuo
Humectante aliquo cuiquam dissuasero, quale
E' violæ flore & nymphæa constat vtraque,
Et reliquis aliјs, quæ quisque exquirat oportet,
Qui quærit medica multos excellere in arte.
Interea studio, cura & molimine toto,
Omnibus ac neruis, vt quæ sibi somnia fingunt,
Abiјciant, pellántque procùl, conabere, & ipsi
Ludicra quæcunque altè animis hæsêre, relinquant,
Mœrorémque omnem sedata mente repellant,
Quarum plurima cum sint exemplaria rerum,
I'nque dies semper fiant, abeuntibus annis,
Multa tibi si nunc vellem memorare, profectò
Antè diem clauso vesper componet olympo.
Eloquar ipse tibi tamen hìc memorabile factum:
Hoc morbo mulier quædam iactata putabat
Intrasse in ventrem diductis faucibus anguem,
Mœstitiáque ideo semper turbata iacebat.

Hanc qui tractaret sapiens accersitur artis
Viribus ingenij pollens & acumine mentis,
In quo magna fides & erat spes omnis in vno,
Intellexit vbi patientem mente dolere,
Procurauit ei vomitum medicàmine molli,
Cúmque hæc euomeret, collisum faucibus anguem
Clàm pelui inseruit, quem non aduerteret illa,
Vt verò vomuisse rata est, mœrore, timore
Tristibus ac curis positis, pòst salua remansit.
Ex hypochondriaca fuerit si passio noxa
Dependens, ægro assiduè centaurij amari,
Pullegiíque dapis pariter decocta, priusquam
Humorem expurgas nocuum radicitus omnem,
Quens etiam possis, id vbi perfeceris vti.
Inde etiam si tu folijs absynthia amaris
Igne coquas spumam abijciens sordésque natantes,
Decoctúmque ægro porrexeris ipse bibendum,
Iugiter & stomacho, & ventri bene feceris, omnes
Discutiens flatus & robur partibus addens:
Hoc quoque per renes lotium medicamine pelles.
Natiuum breuiter sic auxeris ipse calorem.
Externum imminuens. Quin hoc plerique videbis
Præsidio multos pulso reualescere morbo.
Huius sunt generis camædris, dancus, anethum,
Smyrnion ammi, asarum, maratri semen, & eius
Radices, apium, ruscus, saxifraga, multas
Insuper & plantas alias, quas dicere longum est.
Fomentis rursum poteris recreare dolore
Tentatas partes, ex dictis ante parato
Decocto: vel ijs si vis, absynthio, aniso,
Pulegio, ruta, serpillo, vitice, baccis

Laurinis, multísque alijs, quibus omnibus vti
Rite quidem possis cum tempus postulat aut res.
Hæc sanè rigidos sanant plerunque dolores,
Discutiúntque procùl natos in corpore flatus,
Præsertim in dulci si conficiantur oliuo,
Apponásque isthæc igni feruentibus ollis,
Et parti admoueas ægræ, cataplasmatis instar,
Queis etiam valeas cum res expostulat vti.
Sæpe cucurbitulis leuibus non fortibus vti
Fas & iura sinunt, quæ sic (testante Galeno)
Huic morbo prodesse queunt, vt sæpe homini quid
Incantamenti simile efficere videantur.
Nanque hominem totum sanant dedúntque saluti.
Porrò cruentorum nonnulli more luporum
Per colles syluásque altas, per & auia lustra
Immani quadam rabie grassantur adacti,
Vnde λυκάνθρωπους *dixerunt nomine Graij,*
Mutata non effigie, nec imagine versa
(Olim ceu falsò quidam scripsêre) sed ipso
Immutato animo, quandam feritate lupina.
Nanque lupos homines fieri non credere dignum est.
Expedit his subitò succurrere, sanguine ad vsque
Deliquium misso & succo, melioribus inde
Assumptis dapibus, quæ gignere possunt
Inculpatum, exors vitij, & laudabile sanguen.
Tranquilla in tepidum descendent luce lauacrum:
Expurgato iterum atque iterum è colochintide ventre,
Aut sumpta quauis alia meliore medela.
Hinc vipereis medicamen carnibus ægris
Proderit, vnius si dragmæ pondere sumant.
Infestante autem morbo, solennibus æquum est

Irrorare

Irrorare ſoporiferis caput, atque opio vnctis
Naribus, optatum paulatim inducere ſomnum.
Quin etiam aſpicies rigido pleroſque timore
Apprendi, ſi fortè graui timuêre pauore
Ob triſtes aliquas cauſas: vt cum ferus hoſtis
Aduentat miſeras quatiens crudeliter vrbes
Miſſilibus telis, & ferro horrendus & igni.
Præcipuè verò imbelles pigróſque prehendit,
Ignoróſque homines rerum. Nam viuida virtus
Oſtendit fortes timidos ignauia bello.
Non etenim ſibi conſtat iners, ſed pectore vecors
Nunc hac, nunc illac fertur, timet omnia, nuſquam
Certa quies illi, ſemper trepidante vacillat
Pectore, nuſquam animum miſera formidine ſoluit,
Vir conſtans animo nuſquam titubante vacillat,
Sed fortem ſe præſtat, & omnia fortiter audet,
Non adeo metuit congreſſus ille virorum,
Non timet inſidias, quas ſi tamen incidit, optat
Cumprimum conferre manum, miſcerier acri
Conflictu, ferróque hominum diſtringere turbas:
Haud ſecus à triplici quàm ſi latrone viator
Obceſſus conualle aliqua, defendere corpus
Cogitet, aduerſúmque feros diuerberet hoſtes
Fulmineum euibrans collectis viribus enſem:
Tum tremor incutitur, cum ſanguine ſpiritus ipſe
At fontem retrahit ſeſe, cunctæque ſinuntur
Externæ tum ſpiritibus, tum ſanguine partes
Deſtitui, & frigent pulſato menbra calore:
Non aliter quam ſi medios delapſus in hoſte.
Bile tumens dux militiæ raptúſque furore,
Hos cæſim punctímque ferit, ſéque eripit armis,

Atque alacrem compungit equum calcaribus aureis.
Ille volat, fortémque virum vehit acris in arcem,
Cæduntúrque alij, fit terra cruenta cruore
Illorum, quos vel precibus, precióve, vel armis,
Subdiderat, secúmque suis abduxerat oris.
Abditus arce stupet vultúq; immobilis hæret.
Relliquiæ trepidántque virûm, turmǽq; relictæ,
Dum nullum pendêre vident ab rege fauorem.
Ast aliam par est causam quæsisse tremoris.
Hic fit nanque tremor, quem mens intelligit, ipsum
Non ob terrorem inflictum, gelidúmve timorem,
Ast infirmatis neruorum partibus, vnà
Debilibus menbris, nutans quod sæpe senectus
Ostendit, multíque homines testantur abundé.
Priuatim verò plures plerunque tremorem
Efficiunt causæ, velut est complexio (sic vt
Dicam) frigidior natura, debiliórque.
Potus aquæ gelidæ, quam febribus actus aculis,
Intempestiuis patiens absumpserat horis.
Præterea crassi lenti quoque copia succi,
Atque grauis casus, simul atque effœta senectus
Viribus, & creber gelidi medicaminis vsus,
Intempestiuíque cibi, viníque meraci
Copia larga, malum potuere inducere. Tute
Adde his immodicos, crebrósque cupidinis vsus.
Nam Venus vt vires lædit sic copia vini,
Debilitátque pedes, pectúsque, oculósque, capútque.
Proficitur duplici motu: vno cogitur ipsum
Dum menbrum, grauitate sua subsidere semper
Inferiora petens: reliquo quando ipsa facultas
Attollit sursum menbrum, partémque dolentem.

Sit

Sit ratio victus morbi contraria causæ:
Vt si causa mali sit crassi copia succi,
Attenuante cibo potúque vteris, oportet
In totum vitare æuum, quæ gignere lentos
Humores possunt, ipsósque offendere neruos.
Curabunt morbum morbo contraria quæq;.
A crassis igitur si fortè humoribus hisce
Affectus veniat, debes incidere primùm
Materiam, decocto aliquo, & purgare subinde
His medicaminibus nos quæ tibi sæpius antè
Diximus, hinc oleis sunt calfacientibus omnes
Corporis vngendæ partes, lanáque tegendæ,
Nimirum vt possint proprium reparare calorem.
His, multísque aliȷs possis curare trementes,
Humana modò sit morbus curabilis arte:
Non est in medicis curentur semper vt ægri.
Dum quod quisque potest præstat, sit dignus honore.
Si tamen à medica minimè ratione recedat.
Illotis nam qui manibus medicamina tractant
Ignari rerum, & medicinæ totius artis
Sæpe etiam exiles augent in corpore morbos.
Se tamen extollunt, séque omnia scire fatentur,
Audéntque ignotis præscribere pharmaca morbis.
Sed plus pendet ab his, quàm tetra à peste pericli.
Hos tanquam scopulum moneo iubeóque cauere.

FRAN

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER SEXTVS.





AM plures morbi causas, speciésque, modúmq;
Curandi, facili præscrisi carmine, restat
Ad reliquas alias morborum accedere formas.
Nunc itaque hîc lippos oculos curemus oportet,
Quòd faciam certè si quid mea carmina possunt,
Si quid conatus nostros fortunat Apollo.
Hæc morbi species, Græcis ὀφθάλμια dicta,
Haud dubiè contingit, vbi menbrana calorem
Concipit adnata externum, inflammantur & ipsa,
Corporibus nostris cum plurimus humor abundat
Sæpe venire solet, turgéntque à sanguine venæ
Atque omnes ventres, hepárque liénque grauantur.
Tunc ob consensum, reliquo cum corpore toto,
Opplerique premique oculum, tendique necesse est.
Precipuè tunicam quæ nunc adnata vocatur.
Influxum propter nonnunquam humoris amari,
Aut acris potiùs corrodentísque valenter
Gignitur, interdum nocui ratione vaporis,
Prauis permixti, crassísque humoribus. Aptis
Id vitij & certis poteris deprendere signis,
Si sit tincta rubro menbrana adnata colore,
Quæ cauet natura, excurret inutilis humor

Ex

Ex oculis ægri, lachrymæ exibúntque frequentes,
Illorúmque inerunt ſordes maioribus anglis.
In quo decumbet patiens, obſcurus oportet
Sit locus, atque expers fumi, ne lucidus aër
Maiorem præſtet cauſam fortaſſe doloris.
Exin pro cauſæ nobis ratione videndum eſt
Morbificæ, num ſit calidus, num frigidus idem.
In tenui interea victus ratione moretur.
Succoſas nimiùm carnes, vinúmque relinquens.
Craſſior at verò ſi quando exuberet humor,
Æger olygophorum poterit tunc ſumere vinum,
Omnes euitans curas, quæ ſemper obeſſe
Corporibúſque animíſque ſolent, ac dedere morbis
Innumeros, ſaníque hominis peruertere mentem.
Inſuper & fructus fragilis deperdere vitæ.
Si qua premit tunicas oculi inflammatio, propter
Purpureum venas replentem in corpore ſuccum,
Opportuna ſatis mittendi ſanguinis hora eſt,
E vena cubiti, quæ nunc humeralis habetur,
Seruata ſemper recta regione locorum.
Cúmque ingens ardor fuerit, ſæuíque dolores,
Ad defectum animi ſanguis venit vſque trahendus.
Hac ratione omnis decedere corpore languor,
Atque breui poterit vehemens miteſcere feruor,
Si prauo venter tetróque humore redundat,
Et ſalsúſque acríſque humor, craſsúſve tenáxve
Luxuriet ſtomacho, & venis, & corpore toto.
Tunc medicamina, quæ tales educere poſſunt
Humores, tutò ſunt præſcribenda, decenter
Praui habita & ſemper ſucci ratione, boníque.
Hinc medicaminibus purgato corpore certis,

Ille humor qui oculos forsan decumbit in ambos,
Ille inquam humorum teterrimus impetus, omni
Cura, arte, ac studio, necnon mollimine toto
Auertendus erit, vitij velut omnis origo.
Affiges dorso, & scapulis, & clunibus ergò
Aut æs aut cornu, si vitrea vascula forsan
Defuerint, pariterque ambobus cruribus: his &
Frictio profuerit, duri quoque vincula funis
Partibus extremis pedibúsque iniecta, dolenti
Posthæc sunt adhibenda loco medicamina, quorum
Vis reprimit modicè, nec partem exasperat vnquam,
Astringúntq; parum, & quorum substantia læuis,
Et moderata simul, minimèq; oblædere nata est,
Adiecto semper suaui læuiq; liquore,
Hæc vt adhuc magis atque magis nunc talia fiant.
Humores verò quibus est lenire potestas,
Hæc sunt, album oui, fœnogræciq; vocati
Decoctum, breuiterq; recens lac ab vbere tractum.
In summa, morbi initio medicamina, quorum
Frigida & astringens vis est pariterq; repellens,
Conueniunt: in morbi ipso velut incremento,
Partim quorum vis reprimit, partim excutit, ast in
Summo, quæcunque hunc possunt lenire dolore,
Inclinante malo quibus excussoria tantùm
Vis est: hac ægros possis ratione iuuare.
Sæpe ferox etiam geminas dolor afficit aures,
Nempe à frigoribus, stridente Aquilone, malignis,
Atque alijs varijs causis, inducere frigus
Quæ possunt, auréisque graui vexare dolore, vt
Balnea aquæ medicatæ, omnes & fluminis vndæ,
Et fontis venientis aquæ de montibus, in queis

Sæpe

Sæpe solent aliqui studio gestire lauandi.
Ex intemperie calida quoque prouenit, & fit
Intra aurem postquam cutis inflammata calorem
Senserit immodicum, fundóque exæstuat imo.
Sic duplex causa est interna, externáque morbi.
Qua verò ratione ipsam inflammatio partem
Distendens, dirum gignit, causátque dolorem,
Spiritus hoc etiam pacto ventosus eodem,
Aut aliquis crassus, lentúsque ac viscidus humor,
Cui via multa patet, cui non est exitus huius
Sæpe quidem sueuit tetri causa esse doloris.
Huc etiam humores mordaces addere possis,
Has in qui crebrò possunt decumbere partes.
Frigoribus quicunque dolor procedit ab atris,
Ex sermone quidem promptè deprenditur ægri,
Atque ministrorum, simul hac ratione quòd alte
Sit dolor infixus, nec ibi distentio subsit
Vlla vnquam, aut grauitas quæuis aut feruidus ardor,
Aures qui miseras aliquando oblædere possit.
Ast si cuiusdam sensus feruoris in illo
Percipitur, nulléque modo distenditur auris,
Atque inibi nimium sentitur pondus inesse,
Ex intemperie vitium procedere scito.
Sin grauitas quædam simul si distentio iuncta
Febricula, paritérque dolor pulsatilis adsit,
Tunc inflammatam si forsan dixeris aurem,
Deuius à recta minimè ratione recedes.
Sola docet certè semper distentio partem
Oppletam flatu, cui non est exitus vnquam.
Si verò auditúmq; capútque dolentis iniqua
Impediat grauitas, & inepta cibaria crassi

Nimirum ſucci, patiens ſit ſumere ſuetus.
Humores craſſi gignunt, pariúntque dolorem.
Pro varia morbi cauſa, varianda profectò
Viuendi ratio eſt, ſempérque opponere morbo hanc
Par eſt, quod facilè efficies ex antè relatis.
Nunc quod ad iſtius ſpectat, tetríque doloris
Præſidia, vt varias cauſas ſæpe eſſe videmus,
Sic medicaminibus varijs aliquando neceſſe eſt
Vtier, auxiliíſque malum quæ vincere poſſunt,
Omnia ſunt veluti morbi contraria cauſæ.
Ergò dolor quoties à frigore prouenit atro,
Ipſe calorifici cedet medicaminis vſu.
Qualia ſunt olea è ruta, ſpicáque, & anetho,
Sampſuco, & lauro, dictíſque ſimillima quæque.
Mirificè prodeſt euphorbi portio pauca,
Si nimirum oleo fuerit permixta vetuſto.
Hoc verò ſemper memori ſit mente repoſtum,
Vt quodcunque adhibes, infundíſque auribus ipſis,
Illud ſit ſemper calidum mediocriter. at ſi
Ex intemperie calida proceſſerit auris
Ille dolor, ſemper quouis medicamine cadet
Oppoſito. Genus omne mali contraria curant.
At medicatarum vitio ſi venit aquarum,
Imbecilla ſemel quas imbibit auris, & inde
Sentiat ille quidem infelici fortè dolorem,
Exugi penna humorem, calamóve iubebis.
Hac etiam ratione malus vacuabitur humor.
Si verò à craſſis, lentíſque humoribus aures
Condoleant, atque à collectis flatibus intus,
Qui cauſa obtorti nequeant exire meatus,
His medicaminibus, quibus inciſoria vis eſt,

Vteris, cuius sunt omnia amara farinæ.
Quæ citra morsum expurgant, tergúntque valentem.
Iris vt Illyrica est, & tymbra, comæq; minoris
Centauri, atque albæ radices vitis: amaras
Adde nuces, liquidúmque ex his quod constat oliuum.
Quòd si sic læsis infuderis auribus aptum
Porrorum succum tepidè, tepidúmve liquorem
Cæparum, in tantum fieri bene senseris ægro,
Hoc in præsidio quòd reberis esse manendum,
Si tamen huic aliquid mellis coniunxeris vni.
Quòd si causa mali siet inflammatio, venam
Incîdes, vulgò quæ nunc humeraria fertur,
E' latere eiusdem partis, clystere subinde
Omnem defluxum toto conabere nixu
Partis in oppositum diuertere materiei,
Præsertim dum sponte sua nil egerit aluus,
Sed fœces remanent stricto sphinctere retentæ.
Inde rosarum oleum tenuis parte addita aceti,
Auris in affectæ potes instillare meatum,
Sed tepidum, aut gallinæ adipem, aut saliē anseris albi.
Iungere si liceat possis. diffusiùs at si
Se dolor extendat, intendatúrque subinde
Attentabis ei confestim præsidio esse,
Nimirum tepido nutricis lacte, recénsque
Expresso, modicum instillans albuminis oui.
Existente autem fortíque, grauíque dolore,
Inducit miseræ qui magna pericula vitæ,
Quæ tutò ac sensim possunt obtundere sensum
Admisce: velut est opium simul atque papauer
Intereáque aures, locáque his confinia: tute
Aut decocto aliquo tepido, & sedante dolorem,

Aut communi oleo, crebrò sensímque fouebis,
Circumponendo lanam, linúmve decenter,
Ne foris aduentans frigus distemperet aures.
  Porrò de sonitu qui contigit auribus ipsis,
I'nque dies obstat, quem Græcia nuncupat ἦχον,
Καὶ συριγμόν, sed cuncti vna voce Latini
Tinnitum. pauca hîc referam, ni fortè dolentes
Nunc aliud tibi sit crebrò qui vellicet aures.
Nonnunquam multis à flatibus accidit ἦχος.
Nonnunquam à crassis lentísque humoribus, & fit
Acris sæpe etiam sensus ratione & acuti.
Interdum fit à morbis & febribus, ob quas
Aures infirmæ nimiùm sæpe afficiuntur.
Interdum à causis externis: frigore & æstu
Acribus, & capiti inflicto violentiùs ictu,
I'nque caput praua elata vi materiei,
I'nque aures. Vitium si fortè extrinsecus ortum est,
Perfacilè ipsius disces sermonibus ægri.
Ex certis quòd si fiat sonus interuallis,
Haud dubiè signum est quòd spiritus auribus imis
Interclusus inest, via cui vix vlla patescit,
Qui dum contendit, dum vult prorumpere, magno
Enixu, solito sonitus vehementior exit,
Præsertim flatum antè creans si cesserit esca,
Et crudum crebrò stomachum persenserit æger.
Quòd si non subitò sed paulatim ingruit ille,
Ille inquam sonitus, sensim qui concitet aures,
Et sentitur ibi cuiusdam ponderis instar
Esse aliquid, vitáque modus præcesserit aptus
Humorem crassum, & succum generare tenacem,
Acceptum crudis referes humoribus, atque

Viscosis

Viscosis vitium. quod si procedit ab acri
Auditus sensu, magis increbescere multò
Matutino illum sentiscet tempore, cúmque
Fraudauit genium, abstinuit potúque, cibóque.
A' crassis igitur, lentísque humoribus hoc si
Dependet vitium, vel fortè à flatibus, omnem
Incipies primùm humorem attenuare, deinde
Et stomachum, & ventrem totum expurgare, capútq;
Conueniet, certo quodam medicamine sumpto.
Quale est aggarico constans medicamen, & indis,
Et pilulis cochijs, hieræ illis puluere mixto.
Præterea saccis, reliquísque localibus, vti
Vtile erit, quæ multoties iam diximus ante.
Si verò solùm propter processerit acrem
Auditus sensum, quæ sensim inducere possunt.
Torporem, vsurpare decet, sed scire necesse est
Vtendum prudenter ijs, ne tum magis ergò
Officias quam ægro possis prodesse. licebit
A' leniori aliqua & paulo inferiore medela
Ordiri, sensímque alijs melioribus vti.
Ergò rosarum oleo in primis vteris, opi vnum
Duntaxat granum niueique papaueris addens.
Approbat hocce loco id valde, laudátque Galenus.
Sin autem sonus hic in febribus accidat, aut in
Initijs harum iam nulla negotia tute,
Tinnitum vt sedes tollásve, facescere debes,
Sponte sua siquidem tenues vanescet in auras.
Si post morbum aliquem, dirum capitísque dolorem
Multum durarit, decocto absynthij amaro,
Et raphani succo, permixto vteris aceto.
E' morbo in morbum incidimus plerique caduci

Vsque adeo fragilésque sumus, dum fortè iocamur,
Et sequimur pingues Epycuri de grege porcos,
Curamúsque cutim, dum serta, vnguenta, puellas
Poscimus, obreptat non intellecta mali vis.
Tam facilè incurrunt homines genus omne malorum,
Sic purgare aliquis dum se, dum negligit aures,
Exiguúmque malum primò contemnit, & odit.
Pharmaca ab experto medico præscripta decenter,
Inuitúsque subit præcepta salubria vitæ,
Aures ægrè fert torpescere, séque subinde
In peius vitium decurrere: qualis habetur
Quam vero Graij κώφωσιν *nomine dicunt.*
Quo vitio fuerunt homines quicunque teneri,
Surdastros omnes illos, surdósve vocamus.
Nascuntur quidam surdi, quos esse necesse est
Et mutos, vocésque hominum nescire profari.
Non possunt etenim non intellecta, nec vnquam
Exaudita loqui, mentémque expromere verbis,
Nec notas aliquas audire, & reddere voces.
Quosdam, postea quàm nati de matre fuêre,
Corripuit vitium, quod fit vel nomine flauæ
Influxu bilis, cerebrúmque, capútque petentis,
Vel propter crudos humores, atque tenaces,
Qui possunt auris facilè oppilare meatum.
Contingit nonnunquam etiam surdescere quosdam
Multas obsórdes collectas auribus, vnde
Auditus via prærepta est, nullæq; feruntur
Per neruum ad cerebrum voces, sensúmq; animalem.
Conspicuè vitij causam per signa videbis,
Dein tute huic duro morbo medicabere. Flauæ
Si ratione igitur bilis processerit, acres

Insol

Insolitósque etiam insultus comitatur acuti,
Vrgentísque mali, febrésque ardoribus aptas.
Bile quidem flaua ad cerebrúmque auréſque repente,
Sæpius ægrotos signa hæc manifesta sequuntur,
Ariditásque sitísque ingens, simul oris amaror
Nusquam aberunt, subitóque mali vis opprimit aures.
Corporis in summa magnam vim humoris amari
Fert habitus præ se, faciésque, oculíque, cutísq;,
Et flaui in mento, fuluíque in vertice crines.
A' crudo labem lentóque humore profectam.
Omnia prædictis contraria signa sequuntur.
Aspra sitis nulla est, multo os humore madescit,
Et quadam grauitate, oculíque capútque premuntur,
Exanguíque cutis faciei tota colore est.
Adsunt & quæcunque valent producere phlegma.
Cophosis teneris est quæ generata sub annis,
Ex vteróque venit matris, vel tempore longo,
Ipsius à partu pueri processit, ope illa,
Nec medicaminibus poterit repararier vllis.
Quæ nondum vetus est, medica sanabilis arte est,
Quanuis id rarò, quanuis id feceris ægrè,
Flaua mali quoties bilis sentitur origo,
Educes ipsam læui medicamine sumpto.
Cum vero à crassis lentísque humoribus aures
Sunt surdæ effectæ, vitiosum incidere succum,
Concoquere, atque parare decet medicamine primùm
Conueniente aliquo, & totum purgare subinde,
Nimirum pilulis cochijs, & lucis & indis,
Et reliquis alijs, quæ per te exquire possis.
Ventre repurgato à crassis humoribus, atq;
Toto habitu, a capite, & pleno pituita cerebro

Elicienda venit rectè nasalibus intra
Impositis nares, sternutamentáque debent
Illis immitti, & muccum quæcunque ciere
A cerebro possunt per nares, pérque palatum,
Materiámque mali retrahunt, infráque reuellunt:
Prodesse hoc morbo affectis cuncta illa putato,
Quorum nos formas toties iam diximus antè,
Hocce loco vt vani foret enumerare laboris.
Præterea exiccare caput, robúrque cerebro
Addere conueniet, capitíque & partibus ipsi
Vicinis, obstare iterum, circúmque venire
Arte omni, ne congeries humoris iniqui
Officiat. Prudenti ergò res mente gerenda est,
Nec non consilio: fabri quoque fissile lignum
Arte secant atque ingenio quam viribus vsi:
Rectius alta maris turbantibus æquora ventis
Arte regunt naues nautæ, non viribus vllis.
Interea inijcies, si quid mihi credis, in aurem,
Quæ crassum & lentum possunt incidere succum:
Qualia multa satis (memini) memorauimus antè.
Priuatim rutæ succus cum melle solutus,
Castoreumque oleo mixtum conducit anethi,
Id quoties læsas nimirum infundis in aures.
His aliísque valent multis curarier ægri,
Quæ per se gnarus poterit disquirere lector.
Sæpe etiam circa quorundam in glandibus aures
Emergunt quidam magni calidíque tumores,
Nomine quos Græci appellant παρώτιδας *apto.*
Causa mali a multo calidóque a sanguine parti
Incumbente venit, nonnunquam phlegmate multo,
Nonnunquam vero vel flaua bile vel atra,

Interdum

Interdum ex capite impactis humoribus ipsi,
Interdum à reliquo procedit corpore longos
Post morbos, febrésque graues, fortissimo ad aures
Huc per indicia & crises verso impete. Recta
Præscripta inprimis victus ratione, licebit,
Si regio, tempus, vires ætásque requirunt,
Scapelli tumidam compungere acumine venam,
Déque trahes tantum quantum satis esse videtur:
Cætera perficies medicamine conuenienti.
Hoc verò in morbo semper meritóque cauendum,
Ne velut in reliquis quos inflammatio gignit,
Principio attentare velis reprimentibus vti.
Contrà nos succum humorémque trahentibus omnem
Vtemur, crebrò defixa pyxide parti:
Assiduis etiam fomentis possumus vti.
Humores etenim praui succí ve maligni
Ex alto veniunt ad partes inferiores,
A'dque superficiem rectè meritóque trahendi,
Et conamur opem naturæ ferre volenti
Semper ad externas vitium detrudere partes,
Id cum præsertim cerebro dependet ab ipso,
Infixúmque malum capiti vehementiùs hæret.
Quin etiam citra affectum capitísve dolorem,
Quando superuacuos, in febribus vtpote acutis,
Optima deponit succos natura latentem
In regionem, quæ pelli est subiecta cutíve,
Effundens, & cum glandes humoribus in se
Implentur infusis, satius quoque tunc reor esse,
Naturæ auxilium præstare manúmque petenti
Porrigere, & febres diras sanare volenti
Quantum se penes est, quantum valet auxilio esse.

Humorum

Humorum per decubitum persæpe malorum.
Cum verò magno vehementíque impete is humor
Irruit in partes, nil nos tentabimus ipsi,
Totam naturæ rem permittemus amicæ.
Id quod & Hyppocrates diuino concinit ore.
Integrum cum indicium natura dedisse,
Et dare conspicitur, nil est tentare necesse.
Nam si tum fuerit defixa cucurbita parti,
Admorísve aliquod medicamen, quod trahat amplos
Ex alto humores ad partes exteriores.
Inque locum affectum, vehemens dolor inde sequetur,
Excutiétque oculis somnum, virésque fatiscent.
Ergò tum melius diros lenire dolores,
Concoquere humores, & maturare latentes,
Quam velle humorem succúmque ciere, fluit qui
Sponte sua, & ductu naturæ erumpere quærit.
Id facies aliquo leni cataplasmatis vsu.
Ergò legenda tibi venient quæ cum moderatam
Humiditatem habeant, dulci læuíque calore
Prædita sint, valeant partis prodesse tumori.
Qualis frumenti sanè est, linique farina,
Et fœnigræci, cum mulsa, cúmque bene apto
Decocto althææ, camomillæque parata.
Profuit & parti assiduè illeuisse butyrum,
Et nonnunquam oui simul imposuisse vitellum,
Atque süillum adipem, taxique, vel anseris albi,
Atque alia istius generis complura farinæ.
Putrida sæpe etiam quædam vlcera naribus insunt,
Ὀζαίνας proprio quas dicunt nomine Graij.
Tetrorum humorum quadam generantur iniqua
Illuuie vicinam partem erodere nata. Hæc

Signis

Signis & certo poteris dignoscere sensu.
Principio exiccare caput, robúrque cerebro
(Vnde quidem vitij totius pendet origo)
Conciliare opus est sempérque iuuare medendo,
Antè tamen toto purgato corpore. praui
Nam vitium succi, cacochimiáque hæret in illo,
Vlceribus fœdis fuerit quicunque teneri,
Quando mali fomes semper præsto assolet esse.
Ergò operæprecium corpus purgare priusquam
Præsidio esse queas parti cuicunque dolenti.
Hac ratione malus non influet humor in illam
Ampliùs abscindésque mali medicamine causam.
Nam cum pars obsessa malo imbecilla sit omnis,
Semper in hanc aliæ infundunt, regerúntque subinde
Recrementi aliquid, partémque humoris iniqui,
Nobilior pars in partes ignobiliores,
Inque alias rursum hæ, inque alias, sit donec ad illam
Peruentum partem, reliquis quæ infirmior vna est,
Quæque ignobilior, quæque imbecillior. Ergò
Præueniendus erit quicunque superfluit humor.
Ventre priùs purgato igitur, percommoda erit res
Exiccare caput. quod si tu feceris aptè,
Ampliùs à cerebro nequicquam defluet acris
Humor is ad nares, vnde vlcera fœtida fiant.
Tonde caput primùm, mox astringentia circum
Funde olea humorem quæ sunt retrudere nata,
Quæque etiam possunt partem exiccare: vt alumen,
Gallam immaturam, salicis frondes, & acetum.
Mox cerebrum postquam validum cognoueris esse,
Robustúmque caput, parti succurrere læsæ
Tentabis, mixtáque tibi virtute medelis,

Discut

Discutiente vti simul & pellente licebit.
Austera ipsa quidem reprimunt & acerba profectò
Omnia, discutiúntque desiccántque caléntq;
Ozenis igitur curandis est calamentæ in-
Fundendus succus, nisi sicco puluere malis
Vtier, & nares hunc insufflare dolentes.
Mel quoque ijs liquidum potes instillare. deinde
Interiecto aliquo spacio, tute excutiendas
Curabis crustas. quod postquam feceris aptè,
Ipsæque exciderint, adipe anseris atque butyro,
Cum roseo rite affuso sanabis oliuo:
Myrrhæ vnam dragmam capies, & aluminis vnam,
Semisséque rhois, tantum mali coriq;,
Fossilis adde salis, pariter thurísque crocíq;
Tantundem, terito omnia: conseruentur in vsus:
Inijcito in nares cum tempus postulat & res.
Quòd si fortè dolor nares infestat ob hulcus,
Hoc poteris sanè vnguento, quia conferet, vti:
Myrthini roseique olei, de quoque seorsim
Sextantem capies, plumbi de more cremati,
Et lythargiri, dragmam de quolibet vnam:
Albæ cærusæ, cui tu balaustia iunges,
Armenianíque bolum scrupum vnum & semis. at albæ
Quod satis est ceræ, mixtis fac omnibus vnguen.
Hoc etiam noster consueuit Fuschius vti,
Inter præcipuos quem nostra protulit ætas,
Dignum laude virum, & meritũ bene de arte medendi
At variam ob causam sanguis de naribus omnis
Effluit, aut siquidem reserato el abitur ore
Venarum, capite atque etiam quæ naribus insunt,
Aut quoties tunicas abrumpi contigit illis,

Aut instar sudoris vbi excolatur, abitve.
Sanguis enim tenuis per corpora rara resudat
Perfacilè, vt lini per pannum transfluit vnda,
Respuit at crassum densissima tela liquorem,
Venarum verò os reseratur, tum quia vas sit
Infirmum, tum quòd sit sanguinis impetus illuc,
Mixti præterea succi ratione nocentis,
Acris nimirum corrodentísque subinde.
Diuiditur vulnus, tum quando infligitur ipsi,
Tum cum ruptio fit, tum quando erosio venæ,
Aut tunc cum forti ac valido contunditur ictu.
Ast instar sudoris abit, transmittitur, exit,
Raræ vbi sunt tunicæ tenuato sanguine factæ,
Frigidiore cibo patiens vtatur oportet,
Aëráque euitet calidum, vinóque rubello
Et crasso, plerunque sitim sedabit & omnem
Corporis atque animi motum, nocuúmque furorem
Vitabit, molli compostus pace quiescens,
Vnde fluit sanguis, sursum pars spectet oportet,
Impedietur enim cursus motúsque cruoris.
Primùm si tumeant robusto in corpore venæ,
Æger necdum sit resolutis viribus, ipso
In cubito veniet directè vena secanda
Partis ab aduerso, de qua manauerit humor,
Id quod diuino sic rettulit ore Galenus.
Causa auertendi si venam incîdis eam, quæ
Directè in parte opposita est, plerunque videbis
Conspicuum fructum promptæ emanare salutis.
Si verò contrà facias, nil conferet ægro,
Paululùm vbi exierit sanguis, suppressio fiet,
Rursúmque educes clapsa temporis hora.

Pòst iterum atque iterum id facies pro viribus ægri.
Vincula præterea, feruens ſimul exteriorum
Frictio conuenient manuúmque pedúmque duorum.
Si non ſint ſatis hæc, ſub falſis vitrea coſtis
Vaſcula defiges, cum multo ſcilicet igne,
Quæ dorſo atque humeris etiam figenda memento.
Nimirum auertunt hæc in contraria ſanguen,
Et fluere impediunt: tantum virtutis in illis.
His ita præmiſſis, medicamina frigida corpus
Intra ſumantur, quibus eſt aſtringere virtus:
Hæc etiam corpus debent apponier extrá.
Mirificè madidum gelido conducit aceto
Linteolum, ſi ter fronti apponatur, & ipſi
Ceruici: ſic ipſa aqueo madefacta liquore
Spongia ſæpe ſolet nimium cohibere fluorem.
Quin è lactucæ ſucco & plantagine vtraque,
Paſtoris pera, ſemperuiuóque, roſiſq;
Profuerint ægris epithemata facta ſubinde
Ceruici impoſita, & fronti iecoríque decenter:
Qualia quiſque ſibi poterit componere. vtriſq;
Naribus interea medicamen ſiſtere ſanguen
Quod queat, impones: quale eſt quod ſuſcipit vnam
Partem aloës, thuris geminas, hac vtpote forma:
Vnam aloës dragmam tantùm, ſed thuris amici
Sume duas, fiat puluis, ſubigantur ea oui
Accipiendo albo, leporinis denique pilis,
V'tque hominem ſerues, iſthæc mox naribus adde.
Extulit hæc magna nimirum laude Galenus.
His variíſque alijs poſſis retinere fluorem
Sanguinis, & vires ægri reparare caducas.
Ad fauces & ad os dicetur reuma, catharrus:

Ad

Ad pectus brancos si ad nares esto coriza.
Defluxus causa est cerebrum, quod frigore in amplam
Sæpe intemperiem nimio deducitur, his in
Corporibus, qui se ventis séque imbribus atris
Exponunt, tolerántq; Iouis cœlíque rigorem.
Præcipuè Scythicis quoties allabitur oris
Æolus, & gelidas aquilonibus asperat vndas,
Aspergítque fretum niuibus, terrásque iacentes:
Déque foris fluctus glaciali compede vincit.
Immodicos at vbi tellus experta calores,
Finditur, & magni passim spectantur hiatus,
Gramináque incipiunt, campísque arescere fruges:
Tunc si plùs iusto videatur corpus obæsum,
Et nimio oppletum succo, vel phlegmate, sæpe
Funditur, humorésque aquei de vertice stillant.
À nimio caput æstuat, impletúrque calore,
Solibus inflammatur vbi feruentibus æstas.
Quandoquidem calor humores fundítque mouétq;,
Pérque os, pérque ipsas fauces, simul atque palatum,
Pérque oculos, nares pérq; ægri sæpius ambas.
Frigiditas verò cerebri, constringit, agítque
Humores, ac si validis humore repletam
Quis manibus presset stupam, succóve madentem
Pannum aqueo, largúsque manu delabitur humor.
Pressa madens tales succos tibi spongia reddit.
Sic calor haud raro circumfluus efficit istos
Defluxus: nimirum in partes inferiores,
Humores soluens cerebri, & quæcunque cerebrum,
Atque caput replere queunt: sic fortia vini
Pocula nonnunquam, sic balnea feruidiora,
Obstantésque cibi stomacho, crudíque vapores,

Et crassi quidam totum complere cerebrum,
Sæpe queunt, tetrúmque solent generare catharrum.
Externas causas potes è sermonibus ægri
Scire, & ea ipsius famulis ediscere fidis.
A capite ob calidam causam quicunque laborant
Defluxu humorum his caput inferuescit, & acris
Subtilísque humor per nares stillat vtrasque.
Os, facies nasúsque rubent, oculíque tumescunt.
Hos etiam febris crebrò comitatur, agítque.
At quæ frigoribus debent accepta referri
Reumata, distendunt faciem, frontémque, capútque,
Obstipántque poros, quos ethmoidæa vocata
Ossa tenent, illísque ægrè transmittitur aër,
Obstructǽq; manent muccoso reumate nares.
Impensè calidum deuitent aëra, ventos,
Algentésque imbres, nymbos, pluuiásque, niuésque,
Quǽq; caput complent, & quæ diffundere possunt
Eiusdem humores, thermas, & balnea quæque:
Euchimi succi dapibus vescantur, opimis
Nempe cibis, aptísque coqui: porra, allia vitent,
Quǽque caput fumis, crassísque vaporibus opplent.
Quod nunc ad morbi curam spectare videtur,
Conueniet cerebrum primùm sanare, capútque,
Vt fontem, causámque mali, distemperiémque
Mutare in melius, quæcunque sit illa necesse est.
Si fortasse aliquis cerebro destillet ab alto
Cum feruore humor febris cui iuncta sit, ipsum
Sanguinéque exundet corpus, venǽq; tumescant,
Tum sanguis mittendus erit: si nulla trahendi
Sanguen sit ratio, nos id vitare decebit:
Aluus erit molli clystere interea cienda,

Aut

Aut purgandus erit ſumpto medicamine peccans
In ſtomacho cerebróque humor, trudendus & extrà.
At capite & toto purgato corpore, muccum
Deſuper auertes alio genere auxilij, vt ſunt
Aſpera vincla ſatis, fortis quoque frictio crurum,
Amborúmque pedum, manuúmq;. Hîc vitrea multùm
Vaſcula conuenient ſcapulis affixa, humeriſve,
Cruribus ac collo, nimirum & clunibus. aptis
Poſthæc emplaſtris, ſuffitibus, vnguinibúſque
Vtendum, longéque modo hoc detrudito morbum.
Ob varias cauſas dentes quoque ſæpe dolere
Contingit: modò nanque calor, modò frigus idipſum
Efficit, inducítque grauem, dirúmque dolorem.
Nonnunquam humorum defluxum propter iniquum
Ipſos in dentes, radices ſcilicet horum:
Humor maiores ſemper creat ipſe dolores
Feruidior, ſed qui de frigore pendet inerti,
Mitior ac lenior dolor eſt. opponere cauſæ
Internæ morbi contraria ſemper oportet.
Multi coniunctam hanc Arabum perſæpe vocârunt,
Compluréſque alij, qui dogmata priſca relinquunt.
Nil moror, hanc aliter cauſam quis dicere malit,
Dum modò rem rectè teneas, & nôris ad vnguem.
Sit tenuis modicúſque cibus, ſit potio parca,
Et moderata. vſum lactis contemnito ſemper,
Omnia viſcoſa effugiens, & quicquid acerbo,
Atque acido conſtat, ſalsóque, acríque ſapore:
Quódq; calet nimiùm, & nimio quod frigore pollet.
Si dolor hic ſolùm nocuo de frigore pendet,
Tum vini fuerit tepidi non abſonus vſus.
Colluere os, dentéſque igitur, linguámque decebit,

Maxillas verò calido foris vngere oliuo,
Nimirum irino, camomillæq; aliisque,
Conueniet, penitúsque mali depellere causam.
Ipsi insistendo, donec discedere possit.
Ex intemperie verò si fortè caloris
Dens doleat, debes ipsi contraria quæque
Obycere, aduertens quanam ratione, modóq;
Id fieri possit. semperuiuum minus ergò,
Perdiuium, andragnen, glycirrisámq; in aceto
Decoque, decoctóque tuos tali ablue dentes.
Adiunges (grauis est sensus cum fortè doloris)
Lactucæ semen, modicúmque papaueris albi,
Maxillas nymphææ oleo, paritérque rosarum,
Et qua parte dolor situs est, prudenter inungens.
Hócque modo poteris totum extirpare dolorem.
At si defluxus dolor hic ratione maligni
Accidit humoris, priùs euacuare necesse est
Corpus, quàm possis illum sedare. subinde
Tempus erit læsæ reprimentia iungere parti,
Vt succum andragnes, plantaginis atque rosarum,
Illorum vel aquas, permiscens quippiam aceti,
Maxillásque ambas oleis violæq;, rosæq;,
Vngere conueniet rursum (ceu diximus antè)
Paulatim affundens quibus excussoria vis est.
Vt fœnogræci & linicum semine radix
Althææ est: eiúsque modi complura. caueto
Mandragorā interea, altercúmq;, opiúmque, vocatum:
Philonij dragma in modico diluta Lyæo
Mirificè prodest, ingens vbi feruor in ore est,
Sentitúrque dolor nimius: cura aspera, cura
Cui comes optato semper contraria somno,

Tran

Tranquillámque viris cupiunt qui ducere vitam.
At verò humorum defluxu à frigore facto,
Tute adhibere magis medicamina calfaciente
Prædita vi debes. humores frigida crassos
Nam cohibent, miniméque sinunt difflarier illos,
Atque ideo faciunt magis incrudere dolorem.
Hîc sanè vteris tali medicamine tutó:
Accipe dragmam vnam pyrethri simul & meliloti,
Ac piperis, terito & si vis conspargito dentes.
Gingiuas verò propter, dentésque paratos
Putere, atque cibi detentas partibus illis
Relliquias, teter contingere sæpe sueuit
Et malus oris odor, veluti plerunque videre est.
Nonnunquam ex intemperie calida euenit oris,
Nonnunquam stomachi vitio generatur, vbi non
Conficit, atque coquit congesta cibaria rectè,
Corruptis succis semper remanentibus intús.
Interdum quoque fit, tetrum pulmonis ob vlcus.
In victus ratione decet, quæcunque leui de
Causa putrescunt, vitare cibaria fructus
Vt ferme aspicias omnes, olera omnia piscésque
Omnes, pinguiáque, huius adhæc complura farinæ.
Ergo boni succi, enchimíque cibaria sunto
Omnia: prompta coqui, & succum generare benignum.
Qualia sunt perdix, merula, itys, turtur, alauda,
Cappones, pulli, pinguíque ficedula lumbo,
Quæque μελανκόρυφος nigro de vertice dicta est,
Turdus, & aërios montes quicunque frequentant.
Carne lepus tenera, tenerásque cunicule fruges
Depasti, nostras crebrò veniatis ad aras,
Hæ vobis laudes fuerint, hæc præmia vobis,

Vt vestri causa, & bene quam meruistis honoris,
Dulcifluì modicè libemus pocula Bacchi.
Assis vteris, famulis elixa relinques.
Nocturno indulgens somno vitato diurnum.
Si propter dentes, gingiuas propter & ipsas
Halitus affectas miserandi fœteat oris,
Et pleno videas turgere in corpore venas,
Tunc sanè mittendus erit de poplite sanguis,
Partis in oppositum recta ratione trahendi,
Sin minùs eiusdem sanguis de parte trahatur.
Sic etenim peccans promptè vacuabitur humor.
Vitreáque interea figenda cucurbita dorso,
Ceruici, atque humeris, nonnunquam & clunibus. at si
Ipsum sit corpus repletum humoris amari,
Hunc expurgabis leni medicamine. deinde
Ventre repurgato, stomachóque, localibus vti
Conueniet, dentésque omnes, totúmque palatum,
Decocto abluere aptè aliquo, rectéq; parato:
Quale est quod recipit plantaginis, atque rosarum,
Ana maniplum vnum & semis, balaustia, gallas,
Cupressíque nuces prædictis iunge: sed ana
Quantum dragmæ tres binæve requirere possunt,
Granati mali subiunge putaminis vnam
His dragmam & semis, liquidi sed aluminis octo,
Inde coquantur aqua, dum tertia portio desit,
Mox depurentur colo transfusa decenter,
Adde diacarion, mellis paritérque rosarum,
Atque diamorum, dragmas tres semis eorum
Quolibet ex numero, commixtisque omnibus aptè,
Gingiuarum oris, linguæ'que ablutio fiat.
Hac mane, & quando venit esperus, vtitor. antè

Pôstque etiam pastus, collutio facta liquore
Ex aqueo, miscendo aliquid subtilis aceti,
Profuerit. quòd si forsan grauis vlceris expers
Os fuerit, poteris radices ireos albæ
Infusas vino per noctem vertere in vsum.
Sed vinum ore diu, & crebrò retinere licebit.
Diluere & myrrham possis vino ipse meraco,
Atque vti, rutam simul, atque comesse pyrethrum.
Quin multis sanè decocto profuit vti
Solius menthæ, vel solo denique vino.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER SEPTIMVS.





ACTENVS *affectus capiti quicunque fuerunt,*
Intra multis de causis contingere & extrà,
Exposui, signa & causas formámque medendi
Subiungens. nunc ad reliquas descendere partes
Aggrediar, certúmque illis præstare leuamen,
Si faxint superi, nostris si viribus adsint.
Musa agedum, nunc nostra etiam (rogo) cœpta secũdes,
Vtile dúmque lubens simul ac dum sector honestum,
Pérque vias veterum studeo pérque ire recentum,
Adsis, ac nostris vires conatibus addas.
Gurgulionis erit nunc inflammatio primùm

Subijcienda mihi, quibus & sananda medelis.
Γαργάρεον Græcis, nostris columela vocatur.
Pars hæc parte oris certè dependet ab ima,
Natura carnosa sua, quam dentibus altè
Diductis possis, sed pressa cernere lingua.
Vt persæpe aliàs hanc inflammatio tentat,
Sanguinis ex capite, humorum pariterque aliorum
Influxu. morbus visu dignoscitur ipso.
Hanc tumor, hanc febris, dolor hãc comitatur acerbus.
Curandi ratio, plenæ si sanguine venæ
Extiterint, ab ijs venit instituenda, tumentem
Venam humeri primùm, pòst hanc quæ subiacet ipsi
Linguæ incidendo, quippe hac ratione frequenter
Cessat, & à toto decedit corpore morbus.
Lenibus interea sensim clysteribus aluus
Subducenda venit, quòd & à patiente malignum
Particula euacuet succum, retrahátque deorsum,
Tum quòd & impediat fumos ascendere sursum,
Vnde quidem humorum fluxus persæpe mouentur.
Ventosas etiam simili ratione, quòd ipsæ
Humorem auertant, humeris affigere debes,
Ac dorso, largámq; illis immittere flammam,
Inde coërcebis tali medicamine sanguen:
Accipe prunellæ, plantaginis, atque rosarum,
Pastoris peræ, rumicis, de quoque liquorum
Sextantem succi è ribes, moríque duarum
Pondus dragmarum & semis, quas oxiacanthæ
Iunge tribus, mali granati his adde liquorem,
Aut potiùs succum, dragmarum pondere septem.
Gargareona ægeo, mixtis his, abluat ósque,
Hæc in principio patiens columela requirit.

Nam

Nam sunt his demum, quibus est vis excutiendi
Iungenda: vt fœnum græcum est cum semine lini,
Althææ radix, iris quibus annumerari,
Mélque potest, pro nimirum ratione fluentum
Humorum varia, vario morbíque tenore.
Nunc quæ discutiunt, nunc quæ constringere possunt,
Præscribes. Quòd si puris collectio subsit,
Serapium è squilla longo retinebis in ore
Tempore, & hoc illud medicamine colluet æger.
Sæpius & mulsa id tepida præstatur. at ipsas
Puris ad externas si nunc eruptio partes
Fiat, conueniet ferro tentare tumorem,
Atque aperire locum, quò pus queat effluere omne.
Post hæc detersam partem purgabis, & apto
Mox enpatori facies coalescere succo.
Fit quoque non longè post gargareona maligna
Cinanche Græcis, angina vocata Latinis.
Quatuor in partes fuit hæc diuisa: Creatur
Prima, pharinx quoties calido ferueſcit ab æstu.
Altera cum nec ea est flammas experta, nec oris
Ipsius partes reliquæ, nec particula vlla
Exterior, tamen ægrotans in gutture sentit,
Quisquis is extiterit, vitæ propè adesse periclum.
Tertia cum partes internas gutturis atq;
Externas perquam dirè inflammatio vexat.
Vltima cum miseri luxatur vertebra colli,
Vnde cauus locus apparet, sentítque dolórem
Ægrotans, si quis manibus palpauerit illum.
Hæcque aliqua nunquam potuit curarier arte.
A' calido ac multo generatur sanguine, necnon
Crasso cinanche, quam mox deprendere signis

Perfacile est. etenim ſat ſe manifeſtat apertè:
Præceps auxilium quæuis angina requirit.
Quare ſi nihil impediat, mittatur oportet
Sanguis, ſed vicibus multis modicéque licebit
Id fieri, non confertim vacuare. videmus
Nanque aliquos animis linqui, atque incurrere ſæpe
Diſcrimen vitæ. Nec enim de ſemine natis
Mortali, & ſuperas vitæ carpentibus auras,
Humano eſt vnquam genus imbecillius vllum.
Si fuerit mulier, de poplite mittere ſanguen
Eſt operæprecium, ſi tum ſuppreſſa dolentis
Menſtrua ſint, hæc præcipuè quo tempore ſuerant
Profluere, & vario miſeram priuare dolore.
Quod ni profuerit, venas incidere linguæ
Conueniet primo ídque die vel luce ſecunda.
Quòd ſi fortè vetet quid nos incidere venam,
Sæpius aluus erit forti clyſtere mouenda.
Inde ægro pyxis cum multo ſcilicet igni
Profuerit, nunc dorſo ipſi nunc fixa tumori.
Auertendus enim vitioſus corporis humor.
In quem conuenient vſum vincla, aſpera vincla,
Frictio, deinde calentis aquæ lotura. frequenter
Nanque pedes fouiſſe ambos fuit vtile multis.
Collum præterea lana linóve tegendum.
His ita diſpoſitis, reprimentibus vtile totum
Colluere os medicaminibus, quibus excutiendi
Vis eſt immixtis. nam talibus expedit vti,
Quæ nobis primis venient peragenda diebus:
Sic tamen vt ſuperent reprimentia nanque vigore
Infeſtante mali quibus excuſſoria tantum
Vis, eſſe vtendum ratio dicit átque iubét q;

Vt

Vt sunt è fœnogræco, ficúque vetusta
Iridéque, & passis vuis decocta parata, &
Hyssopo. excutiunt siquidem mediocriter ista.
Vtiliter possis vti hoc cataplasmate molli:
Accipito lini fœnogræcique farinæ
Dragmas sex, florum anthemidis, simul & meliloti,
Verbasci, & maluæ bismaluæque ana maniplum:
Coctio tantisper fiat dum mollia fiant,
Dein contundantur, partique appone dolenti.
Quod si tu malis emplastrum, infunde oleorum
Anthemidis, lini, & lili quod sufficit illis:
Hac tu cinanchæ poteris ratione mederi.
Ast alio tussis pacto sanatur, abitq;.
Nanque mali causæ variæ diuersa requirunt
Auxilia, éstque operæprecium discernere quantum
Inter se distent, & qua ratione creentur.
Hanc intemperies nonnunquam frigida gignit,
Nonnunquam verò pleno quidam improbus humor
Ex capite in fauces, necnon epiglottida sensim
Distillans tussim mouet irritátque cadendo,
Sola etiam internæ menbranæ gutturis ipsam
Plerunque ariditas & qui stomachi intima vermes
Erodunt, necnon præterlabentia sæpe hanc
Pocula, congestíque cibi generare suerunt.
Acris præterea stomachum qui vellicat humor,
Pulmonésque ipsos, tusses gignítque ciétq;:
Externæ causæ sunt fumus, puluis, & illud
Omne quod & guttur, faucésque exasperat ipsas.
Solam intemperiem, nocuo quæ frigore pendet,
Nosces si tussi quisquis tentatur, ob hanc nil
Expuit, a causáque leni velut aëre tussit,

Frigid

Frigidiore per os tracto, penitúsque recepto.
Quæ vero tusses gutturque, simulque palatum
Titillant, capitis defluxum a vertice signant
In pectus, quod si quis sic tentantur iij nil
Emittunt, tenuem defluxum id detegit esse,
Vi propultrice elusa, dum defluit humor.
Si via spirituum, pulmo, si pectus & ipsum
Tussiculam moueant, quòd sint hæ frigore partes
Affectæ, facilis fuerit curatio. nanque
Frigore perficitur pulso, inductóque calore.
Sin tenuísque acrisque humor decurrat ab alto
In pectus capite, & tussis pulmonibus obsit,
Obtundendus erit sumpto diapenidione,
Serapio è violis paritérque papauere facto,
Et glycirrisæ succo nam talibus vsus
Sentiet æger opem, nec erit quod deinde queratur,
Dum tamen ipse sibi caueat, medicúmque fidelem
Consulat, illi aptos possit præscribere fines
Qui bene viuendi, causísque obsistere morbi.
Ecquis enim rectè id medicus nisi nôrit ad vnguem?
Ars sua quemque iuuat, quisque est sua in arte disertus.
At si causa mali crassus, viscosus & humor
Extiterit, primum nobis incidere phlegma
Conueniet, tussíque illud tenuare medendo,
Id quod serapys hyssopi marrubiique,
Atque glycirrysæ rectè præstare valebis,
Deque calamento factis venerísque capillis,
Istiúsque modi compluribus. inde necessum est
Peccantes medicaminibus purgare benignis
Humores, vtique dehinc medicamine tali:
Accipe loch sani è pino squilláque vocati,

Ana

Ana duas dragmas semis, diáque ireos, vnà &
Radicis dulcis succi diapenidiiq;,
Dragmam vnam & semis, de marrubióque syrupi
Quod satis est, ecligma ægri vertatur in vsus.
His actis, totum pectus costásque perunge
Vnguentis certis, oleísque calentibus actu,
Naturáque sua: velut est oleum iridis, atq;
De querna, lino cui dant & lilia nomen.
Ergò resumptiui vnguenti tibi sume quadrantem
Seminis althææ, & lini cremoris vtriusq;
Bis geminas dragmas, sed grana croci tria tantùm,
Anthemidini olei quod sufficit addito, mollis
Et modicum ceræ, quod prosit, fiet & vnguen,
Quo pectus totum, costas quoque inungere possis
Ex hoc sæpe malo defluxu humoris inepti,
Si longo persistet nimirum tempore, in ipsis
Præsertim senibus, fiunt, quos Græcia & aptè
Nominat asthmaticos illos nam sæpe videmus
Magnum citra vllum crebrò spirare calorem,
Semper anhelantes ægrè obnixéque trahentes
Sputa per os, per & oppressas cum gutture fauces.
Omnes asthma malum communi nomine dicunt.
A' multo crasso lentóque humore creatur
Pulmonum infracto in tunicis, quas alligat intus,
Nonnunquam duris ceu quodam glutine costis,
Transuersúmque premit septum, pectúsque subinde,
Nonnunquam tumor illud agit pulmonibus hærens,
Abscessúmque iysdem referens, quos sæpe fatigat
Et grauitas, sputúmque tenax, & viscidus humor,
Atque incessenter commoto pectore tussis.
Ægri sit calidus victus, sit denique siccus:

Contem

Contemnat pisces, fructus, atque omne legumen,
Atque ea que possunt succum generare tenacem.
Si vitium à crassis humoribus accidit, illos
Extenuare quidem simul atque extergere par est,
Si verò ex aliquo processerit asthma tumore,
Extenuare etiam, sed & exiccare necesse est.
In primis igitur postquam concoxeris omnem
Materiam crudam, ventrem purgare licebit.
Nanque parare priùs corpus totum expedit, id quod
Per delectas epulas, decocta, syrupos,
Et cuncta efficies, quæ sunt incidere nata:
Sampsucum, tymbram, maratrum pulegiúmq;,
Marrubium, squillam, costum, Venerisque capillum.
Pérque caballinos vngues, pérque hordea, quæ cum
Vuæ sint passæ coctæ, ficúsque, thymúmq;,
Vnam miscendo iulepi è stæcade partem.
Et modicum mellis vel mulsi, quippiam aceti:
Istiúsque modi medicamina plurima, causæ
Morbificæ ratione habita, cui aduertere mentem
Est operæprecium, sempérque obstare medendo.
Elapsis verò quatuor vel quinque diebus,
Scilicet humorem postquam deterseris atq;
Eiusdem omnem crassitiem tenuaueris aptè,
Expedit expurgare iterum medicamine corpus:
In quem conuenient vsum catapotia facta ex
Aggarico atque aloë, nonnunquam puluere sacræ
Antidoti admixto, simul & quæ venit ab Indis
Radicis tantùm solius pondere scrupi,
Nonnunquam verò pilulis & lucis & indis,
Consulere interea stomacho ventrique monemur.
Rosmaridis conseruæ igitur, Venerisque capilli

Sumite

Sumito semissem dragmæ, & modicum mytridati
Misceto, conseruato pro mane sequenti:
Et geminos lauisse pedes fuit vtile multis.
Accipe sampsuci, salicis, rorísque marini,
Anthemidis simul & florum, simul & meliloti,
Pulegij & cunilæ, quauis de parte maniplum,
In coque fontis aqua, pedibus pro rite lauandis:
His ita digestis, ad cætera progrediendum,
Longè relliquias possunt quæ pellere morbi:
Qualia sunt diapenidium, diáque iris, itémq;
Eligma è pino, & sanum expertúmque vocatum,
Déque etiam vulpis pulmonibus: adde syrupos
De hyssopo, simul & calamento, marrubióq;,
E quibus innumeras poteris conflare receptas.
Pectoris est alius morbus quàm febris acuta,
Et lateris pungens dolor, & spiratio perquam
Difficilis sequitur sputum pariterque cruentum:
πλευρίτιν *Græci communi nomine dicunt.*
Hæc generatur, vbi menbrana intrinsecus illa,
Quæ latera & costas vnà subcingit, abunde
Tenditur, & multam concepit sanguine flammam,
Costarum hinc laterúmque dolor, vehementer & aspri
Pulsus, hinc sputum sanie tabóque cruentum.
Quod verò excernit patiens, vel sanguine plenum,
Vel flaua bile aspersum, vel phlegmate, nigra
Vel bile infectum est, vel permixtum omnibus illis.
Si forsan sputum videas rubri esse coloris,
Sanguinis est certum signum superantis: vt si
Pallescat, bilem flauam superare necesse est.
Si verò crebris videas albescere spumis,
Aut illud fusco tinctum nigróve colore,

Aut

Aut hunc aut illum ſuccum dominarier æquum eſt.
Fit breuior morbus, primis ſi fortè diebus
Expuat ægrotans. quod & atteſtatur abunde
Hyppocrates princeps medicinæ totius artis.
Quales morbi ſint anni per tempora diſces,
Circuitúſque mali, per & incrementa dolorum,
Quin & ab his quæ mox apparent ſigna, petuntur
Sic laterum in morbo, ſi primis fortè diebus
Sputum excernatur, celerem docet eſſe futuram
Pleuritim: ſic vrinæ quæcunque videntur,
Et fæces, celeres vel longos eſſe futuros
Oſtendent morbos, criſim prauámve bonámve.
Sit tenuis victus ratio, primíſque diebus
Contentus debet ſucco ptiſanæ eſſe, deinde
Ille nucum niueo veſcetur lacte bonarum,
Hordeo & vtetur permixto ſacare dulci.
Conuenient etiam gallorum iuſcula, & horum
Alarum teneræ carnes, piſcéſque marini,
Inter qui ſcopulos & ſaxa horrentia viuunt,
Algas non inter villes, lentámque paludem,
Inclinante malo ſed eos præſcribere tutum eſt,
Próque mali ratione alijs vtatur oportet.
Plenior eſt aliquando cibus ſenſim adijciendus,
Elangueſcat ne natura, & ne pereat vis.
Nam veluti quicunque ſequi Mauortia ſuerunt
Prælia & agminibus miſceri, & currere in hoſtes,
His adhibere licet curam potúſque cibíque,
Viribus vt fortes venienti audacius hoſti
Occurſent, pugnent pro libertate ſocíſq;.
Sic his qui è rigida ſalui ſunt febre relicti,
Et nunc à duro ſuperant certamine morbi,

Debilibus

Debilibus menbris quòd ſint, nec robore præſtent,
Proſpicere atque cauere opus eſt potúque cibóq;
Oblato, vt poſſint inimicum gnauiter hoſtem
Pellere, relliquiáſque omnes protrudere longé.
Infirmas igitur vires patientis, oportet
Euchimis reparare cibis, potúque ſuaui.
Ne ſi collapſæ fuerint in corpore vires,
Errorem poſt hæc nequeas ſarcire patratum.
Eſt quodam nutrire tenus, ſi non licet vltrá.
Ventrem incusârunt olim quòd inutilis eſſet,
Manderet & fructus operum, frugéſque ſuarum
Péſque manúſque, ſimul ventri iuſsêre laboret,
Aut non queat ali, ſupplex ſic ille precatur:
Eſurio, ſitio, potum date, fundite vinum,
Tabeſco, emoriar, miſerando ignoſcite ventri,
Ab quæſita negant, reſolutis viribus ille
Nauſeat. at ſecum reliqui cœpêre dolere,
Præcipuè pes, atque manus: tum porrigit eſcas
Officioſa quidem, ſed iam virtute ſoluta,
Venter eas retinere nequit, ſed reppulit ore:
Sic ſtomacho pereunte, pedes periêre manúſque.
Ergò conueniet vires reparare caducas
Oblatis epulis, opportunéque receptis.
Fac tamen aſtringens fugias & quicquid acerbum eſt.
Et frigentis aquæ eſt potus deterrimus ægris.
Vina etiam vitent. quid enim magis afficit vnquam
Obſceſſum corpus febri, plenúmque caloris?
Inflammans vinum res eſt, & plena vaporum,
Quòd promptè & venas peruadit corporis omnes,
Et facilè innatum incendit mutátque calorem.
Serapio vtendum è violis, Veneríſque capillis,

Et glycirriza , ptisanæ cum nempe liquore
Permixtis. possunt quippe hæc prodesse dolenti,
Et cohibere sitim, febrímque arcere nocentem.
Aufertur morbus detracto sanguine, secta
Κατ' ἴξυν *vena. sic attestante Galeno.*
Pleuresi affectis, quacunque è parte dolentis,
Directa lateris venæ dissectio facta est,
Adfert auxilium magnum plerunque salutis,
Opposita verò quæ fit de parte doloris,
Obscurum aut nullum, aut longo pòst tempore profert.
Euacuat siquidem, necnon de parte reuellit
Sanguinis influxum, sedátque, aufértque dolorem.
Antè tamen leuis clyster venit inijciendus,
Idque magis quoties distensa est fœcibus aluus.
Bismaluæ, maluæ, violarum, mercurialis,
Et bliti sumes, quauis de parte maniplum,
Ad libram & semis fiat decoctio, septem
Aut octo dragmas casiæ, mellísque rosati
Semissem, violarum olei sed iunge quadrantem,
Atque salis modicum: formetur clyster in vsum.
Post hæc μαρσίπους*, quos Græci nomine dicunt,*
Illos sed semper callidos, è mollibus herbis
Conficies, veluti sunt suauè rubentis anethi
Anthemidísque simul flores, simul & meliloti,
Verbascique. ferunt summo quos vertice honores,
Huc collaudati subiunges semina lini,
Et milij quantum sat erit cum furfure miscens.
Quòd si marsipo nollis, fomenta parabis,
Vascula, vesicásque replens, laterique reponens,
Vnguentísque latus, pectúsque subinde perungens.
Quale est quod recipit gallinæ, atque anseris albi

Septem adipis dragmas, olei de dulcibus illis
Confecti nucibus, camomilave quadrantem,
Seminis & maluæ, fœnogræcique duarum
Pondus dragmarum, modicum ceræque, crocique,
Fiat & vnguentum calidè quo pectus inunges.
Interea, quæcunque valent educere sputum,
Præscribes, seu penidium, diapenidiúmque:
Accipe penidij, tracacanthæque quadrantem,
Passarum vuarum addatur semuncia, pulpæ
Et maluæ & leuis bombacis seminis ana
Dragmam vnam & semis, violarum iunge syrupi
Quod satis est, his commixtis eligma parabis.
Disrupto tandem diro apostemate, toto
Puréque deterso, iam constringentia sumi
Debebunt, quò pars possit coalescere scissa.
His dolor auxilijs laterum plerunque recessit.
Subcingens costas veluti menbrana frequenter
Pleuresim gignit, magno succensa calore,
Pulmonum certè sic inflammatur vterque,
Interdum, & valido thorax feruore tenetur.
Id fit ab humorum crebrò defluxibus amplis
A capite in pectus. fit & à pleuritide, necnon
Asthmate, & angina, humorum isthuc impete facto.
Et genus id morbi affectum hunc producere possunt.
Fiat in has siquidem si distillatio partes,
Multùm difficilis curatio talibus ægris
Contingit. pulmonis enim substantia cordi
Incumbitque premitque illud, calcátque premendo.
Huic laterum grauitas cum febribus instat acutis,
Frons rubet, & nasus, rubeo vultúsque colore.
Tingitur, ac iuxta facies, narésque videntur

Depressæ, venæque tument vbi tempora pulsant,
Ariditas linguam infestat, totúmque palatum.
Victus erit ptisanæ cremor cum melle, aliquando
Pauxillum hyssopi miscendo & origani in illo,
Persimilisve herbæ. at rarò modicúmque propinent.
Humiditas etenim pulmonibus officit omnis.
Non est (crede mihi) sanguis mittendus in illis,
Ex alijs morbis qui in eum cecidêre laborem,
Præsertim si iam fuerit detractus abunde.
Clystere vtendum si non profluxerit aluus.
Exin cum multa sicyas in pectore flamma
Figes, hac ægrum possis ratione iuuare.
Quòd si nunc primùm vitio teneatur oborto,
Si vires ætásque sinunt, mittatur oportet
E cubito vicibus partitis sanguis vtroque.
Quòd si non liceat nobis incidere venam,
Ventosæ venient lateri, cute scarificata,
Figendæ, tantúmque tibi de parte cruoris
Mittendum, quantum vires robúrque requirunt.
Aut aliquo valido venient clystere trahendæ
Fæces, quò stomachum, ventrem, pectúsque repurgent.
Hæc vbi præstiteris, cerata, vnguenta, loóchque
Vsurpare decet, nunc in pleuritide quæ nos
Diximus. attamen hic morbus grauiora requirit
Pharmaca, quæ tenuent multò magis omnibus illis.
Vt facta è squilla & vulpis pulmone. proinde
Perpetuò quæ sit morbi natura videndum,
Sic morbo cuiuis poteris medicarier apté.
Expuitur verò nonnunquam è pectore sanguis,
Ob casum ex alto, concussáque vulnera, saltus
Nonnunquam propter violentos, propter & altum
Clamorem,

Clamorem, læsis interdum frigore venis.
Frigus enim venas aliquando rumpere certum est.
Atque hæ caussæ sunt extrinsecus euenientes,
Quæ verò crebrò veniunt intrinsecus hæ sunt:
Exuperans toto venarum corpore sanguis,
Sanguis item plenus vitij, succíque maligni
Venarum molles tunicas erodere nati.
Additur internæ dictis adapertio venæ.
Venarum verò reserarier accidit ora,
Ob triplices causas: prima est vbi vascula vires
Abiecêre suas, & sunt infirma relicta,
Altera fit sanguis cum defluit impete magno
In partem, reliqua est vbi pars eroditur, atque
Impuris semper succis accepta referri
Debebit, necnon humoribus acribus hæc, seu
Humores fuerint pulmonibus ingenerati,
Seu veniant aliunde isthuc, cerebro vtpote ab alto.
Expuitur rursum nunc è pulmonibus eius
Aut canna sanguis, nunc verò è faucibus, ipso
Nunc ex ventriculo, reliquísve ex partibus exit.
Astringat victus ratio, paritérque resiccet.
Farre alica ægrotans, dulcíque vtatur oriza,
Porrorum infuso succo: perdíxque, columbáque
Agrestes, turdíque, addendo nonnihil ipsis
Omphacij, succíve vuæ, quæ fertur acerba,
Conuenient. nec dura vnquam contempseris oua,
Nec pira, nec quæ albent tenera lanugine mala.
Proderit in potu vinum, crassúmque, rubrúmque.
Farratúsque liquor: motus, contentio, clamor,
Ira simúlque omnis, procul hinc procul este prophana.
Vitrea tum demum læuísque cucurbita parti

Affectæ apponi debet, quò sanguis abunde,
Et calor & virtus illò retrahantur. at id si
Non liceat, certè vicinis partibus addes,
Atque vnges iterum molli medicamine corpus.
Pro varijs causis, varia ratione medendum.
Sanguinei sat erit nunc in pulmone retenti,
Siue cruentati sputi depingere curam.
Ex pulmone igitur sputum quicunque cruentum
Expuit aut ruptis venis aut forsan apertis,
Abstineat motu, rarò respiret, amœno
Deliteátque thoro, & submissa voce loquatur,
Aut sileat potiùs, somno curásque resoluat.
In primis verò sanguis mittendus ab illa,
Quæ cubiti interna est, vena, sensímque trahendus;
Nimirum vicibus partitis, tempore certo,
In partem oppositam causa studióque trahendi.
Hunc inconuenient vsum constrictio crurum,
Frictio, vincla pedum, manuúmque iniecta in vtramq;
Posthæc dilutam poscam, tepidámque decenter
Accipiat, quater in quatuor si iusseris horis.
Vt si ventriculo concrêrit grumus in ipso
Sanguinis, incîdi possit, dein pellier extrá.
Tum demum ægro profuerint emplastica, siue
Intrà siue extra sumat medicamina proinde
Andragnæ ex vsu fuerítque comesta, liquórq;
Ipsius, certè si serò & manè bibatur.
Proderit & rectè decoctio facta sequentum.
Vuæ immaturæ, gallæ, glandísque, rubíque
Radicum, quibus accedunt balaustia, mali
Granati cortex & cauda Hypuris equina.
E ribes succi medicati, aut oxiacantha,

Accipies geminas dragmas, malique Sidontis,
Mixturæ, terræ verò quæ lemnia fertur,
Armeniæq; boli, thuris, paritérque draconis
Sanguinis, ana vnum scrupum: iungenda rosarum
Sacaris antiqui veniet semuncia dictis,
E' myrto, éq; rosis quod sufficit adde syrupi,
Lóclique tibi fiat communi nomine dictum.
Posthæc ceratis, vnguentísque vtere: virtus
Sit quibus astringens, vt pars coalescere possit.
In summa antè malus cruor auertatur oportet,
Quàm constringatur patientis pectoris hulcus.
Quam φθίσιν *Græci tabem dixêre Latini,*
Quæ propriè nihil est aliud, quàm visceris huius
Hulcus, quem medici pulmonem nomine dicunt.
Gignitur ob varias causas, aut propter iniqui
A' capite influxum succi erodentis, & acris,
In pectus: nunc pleuresim, cæcósque dolores
Pectoris insequitur reliquos, cum sanguis ibi, aut pus,
Aut sanies cohibetur atrox, & viscera rodit.
Hoc quicunque dolet tetro, obscuróque dolore,
Macrescit, tacitúsque angor depascitur artus.
Tempora depressis oculis collapsa videbis,
Et nares etiam fieri patientis acutas,
Próque minere illi consumptis carnibus alas.
Lenta tabescit febri, tussítque frequenter,
Spiritus ægrè exit tamen è pulmonibus. at si
Magnus fortè hominem fluxus comprenderit alui,
Pro foribus mors atra manet sua spicula vibrans,
Nam desæuit vbi vitium, turbatio ventris
Consequitur grandísque sitis, sputúmque coloris
Expuitur tetri, & fœdi vehementer odoris,

Et lethale fluunt signum de vertice crines.
Hoc morbo affecti raro curantur, & ægré.
Nam cum non citra tussim purgentur iniqua
Vlcera pulmonum, nec ob hanc coalescere possint,
(Irritantur enim recrudescúntque subinde)
Ad curam raro patiens perducitur: adde
Perpetuos etiam motus pulmonis. oportet
Immotas siquidem partes quascunque manere
Affectas. vtcunque autem curatio semper
Difficilis, prolixáque sit, curetur vt æger
Tentandum tamen est si qua ratione licebit.
Accersas igitur quibus est prudentia rerum,
Quos non vna dies, non vna reducit hyrundo.
Nam neque solertes breuis experientia rerum
Fert animos, longo sapientia surgit ab æuo.
Audaces animi iuuenum, quibus omnia feruor
Subijcit ætatis non optima, promptior illis
Semper adest animus, sed & imbecillius omni
Tempore consilium, & rebus sententia peior.
Indoctos homines igitur vitare memento
Nimirum qui tetra manu medicamina miscent,
Próque bonis rebus vendunt sæpe malas &
Fictitias, imponentes mortalibus ægris,
Aduectásque ferunt rate per vada cærula Neræi,
A terris positis vltra & Garamantas, & Indos.
Nam quid non, eheu, mortalia pectora cogis
Auri sacra fames, scelerúmq; immensa voluntas?
Est nil tam purum, defæcatúmque, bonúmque,
Nostra quod ob quæstum non pessimè adulteret ætas,
Crimine auaritiæ miseríque cupidinis acta.
Prauis nanque loquor, nam mens intelligit illos
Æger

Æger veſcatur ptiſana, veſcatur & ouis.
Vuæ inter fructus proſunt, ficúſque nucéſq;,
Lac tamen ante alia affectis hac peſte probatur,
Nempe recèns mulctum. Verùm te ſcire decebit
Hocce loco humanum reliquis præſtare, ſecundum hoc
Aut aſinæ, aut capræ niueo eſt laus danda liquori.
Ante cibum ſeſe patiens exerceat, omnem
Immodicum vitans motum, mœſtúmque tumorem,
Et quicquid corpus valet exhaurire: velut ſunt
Cura, ſitis, fames, ira, Venus, mœrórque dolórq;.
A' capite humorum fluxus ratione nocentum
Si fiat tabes, primùm hunc compeſcere par eſt.
Nam fruſtra morbis cauſa remanente medemur.
Pulmonis verò quantum nunc ſpectat ad hulcus,
In primis nobis licet abſtergentibus vti,
His etiam quæ pus ſaniémque educere poſſunt:
Vt ſunt idromel ac hordi, Veneríſque capilli
Decocta, hyſſopi, Illyricæ iridis atque cunilæ,
Marrubij his addes albi hyſſopíque ſyrupos,
Atque glycirrizæ. queis ſemina frigida poſſunt
Adiungi. Si febricitat, ſi æſtuat æger,
Apponenda foris venient ex ſemine lini
Emplaſtra & fœnogræco ficúque parata,
Atque alijs quæ pus maturant diſcutiúntq;,
Abſterſo, purgato etiam pulmone, iubebis
Aſſumat quæ labra mali committere poſſunt:
Qualia ſunt bolus armeniæ ſanguiſque draconis,
Succinum, adragnæ ſuccus, corallia. verùm
Antè roſis ſacar conſtans prædicta iuuabit,
Et quod ſymphito conſtat, Veneríſque capillo,
E' pino, ſimul è vulpis pulmone valet loch.

Interea

Interea quo fortè obducitur ipsa cicatrix
Tempore, myrtillorum oleo, paritérque rosarum
Pectus inungendum, adiectis hypochistide, galla,
Et runcæ, atque etiam granati cortice mali.
Postremò macrum victus ratione decenti
Restaurare decet corpus. succíque benigni
Vtendum dapibus, paritérque suauibus, æger
Vt confirmata sensim virtute valescat.
Cor verò plerunque malo tentatur iniquo.
Dilatatur enim naturam præter, idémq;
Palpitat atque tremit, motúque mouetur acerbo.
Ex intemperie venit hæc affectio quauis,
Aut humore nimis multo, quem capsula cordis
Intus habet (sic nanque vocant περικάρδιον *omnes)*
Aut aliquem præter naturam fortè tumorem,
Aut propter causas, quas ipse Galenus
Quinto de passis expressit partibus apté.
Ex intemperie calida fortíque calore
Si veniat vitium, pulsu dignoscitur ipso.
Nam celer & velox, magnúsque existit abunde.
Febris enim venis patientis feruet in imis.
Frigida vbi causa est vitij, contraria quæuis
Sunt signa antè mihi dictis. est nanque remissus
Et tardus pulsus. Sin verò copia succi
Immodici fuerit, quo capsula cordis abundat,
Vt mollis pulsus, sic languidus esse feretur.
Iuxta quamque mali causam varianda ciborum est
(Qualescunque sient) ratio, seriésque modúsq;,
Id q uod perfacile est homini præstare perito.
Euarianda ergo etiam venient medicamina quæq;,
Opponendo mali semper contraria causæ.

Cor

Cor quibus immodici sola ratione caloris
Palpitat, vnguento tali recreabitur vncto
Pectore cum spina dorsi, quod constat oliui
Sextante è violis aut ex sextante rosati,
Si tamen ad geminas addantur santala dragmas,
E'que rosis modicum, tantillum his addito ceræ,
Vnguentúmque tibi cordis seruetur in vsus,
Hoc etiam pectus cum corde epythema iuuabit:
Accipe buglossi sextantem semis, aquarum
Tantundem endiuiæ, tantundémque adde melissæ,
Antidoti verò cordis de nomine dicti
Dragmam vnã & semis, quibus omnia santala iunge,
Atque etiam caphuræ tantùm tria grana, crociq́;
Quattuor, & fiet Graijs ἐπυθήμα vocatum.
Ex humore aliquo vitium si pendet, oportet
Ægroto tenui victus ratione mederi,
Et cubiti venam ferro contundere acuto,
Hac isti crebrò ægroti ratione valescunt,
Viribus at cordis multi periêre solutis.
Nam plures virtus animúsque repentè relinquunt.
Id fit nonnunquam ob defluxum sanguinis, atq;
Profluuium ventris, varióśque grauésque dolores:
Fitque ob sudores, vigilésque ex ordine ductas
Noctes, terrorémque ingentem, & plurima propter,
Quæ non possemus paucis nunc dicere verbis.
Omnis enim vehemens vacuatio, motus & omnis
Immodicus, cordis languor perculsio mentis,
Sæpe queunt paruam miseris inducere mortem.
Nam defectum animi multi sic sæpe vocârunt,
Deliquium patiente illo, virtute minuta.
Præterea humorum venit id ratione malorum,

Vt pote

Vtpote crudorum, tenuis quoque nomine ſucci,
Aut inflammatæ partis ratione valenter,
Corruptæque auræ cauſa & fœtentis abunde,
Nonnunquam cordis vitio, cum nempe laborat
Grandi intemperie pars hæc in corpore princeps,
Vnde aliæ vitæ funguntur munere, & à qua
Omne hominum pecudúmq; genus, paritérq; volantū,
Et quæ cæruleo fert monſtra ſub æquore pontus,
Vitales carpunt motis pulmonibus auras,
Nonnunquam vitio ſtomachi generantur, vbi humor
Putris ineſt, tunicáſque illic corrodit & vrget.
Si propter fluxum contingat ſanguinis, aut ob
Immoderatum aliud quoduis de corpore & ingens
Profluuium ſubitò facies vultúſque nitenti
Aſpergendus aqua, roſeo paritérque liquore,
Corporis extremæ partes de more ligentur,
Atque fricentur eæ pannis (vt conuenit) aſpris,
Crura quidem ac pedes, ſi ſuprà eruptio fiat,
Si verò ad partes delabitur inferiores,
Brachia cum manibus venient dorſúmque fricanda,
Túmque cucurbitulis, quas dicunt, conferet vti:
Os diducendum cuneis, naréſque premendæ,
Spiritus vt cedens intro recreetur. at ipſe
Mox reuocare animum toto conabere nixu,
Suaui epulo, rebúſque alijs bene olentis odoris.
Luce domus careat magna, ſit frigidus aër.
Immodicus verò ſudor ſi corpore manet,
Tum mellino oleo & myrthi, paritérque roſarum
Corpus inungendum & collum, thoráxque, ſub alis,
Quíque loci ſudore madent. tunc ſantala odora,
Et quæ caneſcunt tenera lanugine mala

Appones

Appones hominis patientis naribus, hisq;
Caphura, nymphææ flores sint iuncta, rosæq;.
Hîc tamen extremas partes nolito ligare.
Quòd si mœrorem propter tristémque timorem
Passio contingat, nos longè arcebimus isthæc,
Humoris sed si vitio remanentis in ore
Ventriculi affectus fiat, medicamine certo
Procurandus erit vomitus, ventérque ciendus.
His variisque alijs animo quicunque repentè
Linquuntur, poterunt (domino præstante fauorem)
Labentem reparare animum, & se è faucibus orci
Eripere, & vitam melius distendere in æuum.
Hîc vbi temperies cœli iucundior, aura
Lenior, & sit vbi prouisæ frugis in annum
Copia, qua liceat composito in pace fruisci,
Cui sint vasa olei mustique, & plena butyri,
Lac vbi non æstate, nouo non frigore desit,
Non dulces gratáque epulæ, non pocula Bacchi:
Non Dea, qua nihil est sub cælo læuius vna,
Calliopæáque, Melpomenæque, harúmque sorores.
Hîc etiam totam vellem me degere vitam,
Murmura spernentem vulgi, populíque tumultus,
Hæc inter bene si ventri pedibúsque tuis sit,
Nec stomachum cerebrúmve tibi pituita molestet:
Nil Arabum gazæ, nec opes, rubríque lapilli,
Nil regum poterit diadema adiungere maius.
Sunt hæc qui quærant, est qui non curet habere,
Dum possit fragilem hanc sanus traducere vitam,
Quamuis diuitiæ & rerum illi copia desit.
Humana hæc siquidem paruo natura fouetur,
Nec viuacior est, plus qui habet. Vtere rebus

Attamen

Attamen ipse tuis, & quæ tibi fata dedêre,
Grato ſume animo, nec dulcia transfer in annum.
Nunc tempeſtiuum de lactis pauca videtur
Dicere defectu, breuibúsque exponere cauſam.
Ariditas ſi quæ mammas ſiue vbera ſiccet,
Aut totum corpus, nutrices lacte carere
Contingit, ſic vt nequeant hæ paſcere fœtus.
Deficit his quoque lac ſi pauco ſanguine corpus
Participet, vel debilibus ſi viribus infans
Extiterit, vix vt mammas exugere poſſit.
Sugendo ſiquidem quanto plus demitur illis,
Tanto plus trahitur ſucci, niueíque liquoris.
Sanguis vbi fuerit paucus, miniméque redundat,
Aut minor exiſtit venis, quam par ſit in ipſis,
Aut certè eſt peior, ſolitóque malignior idem.
Ergò ſi modicus ſanguis paucúſve videtur,
Calfaciens victus ratio mediocriter eſto,
Ac ſimul humectans. nam ſunt quæcunque caloris
Immodici, exiccántque nimis, vel frigore pollent,
Lacte vetant dulci turgeſcere pectore mammas.
Gallorum pullos igitur teneróſque columbos,
Perdices, carnes hœdinas & vitulinas,
Vuas & paſſas, & amygdala dulcia nutrix
Et puros panes, atque oua trementia mandat:
Lactuca vtatur, bugloſſo, lacte, butyro,
Vtatur vino tenui, vel ſemper aquoſo:
Ira, dolor, motus vehemens, curæque recedant.
At ſi non purus ſit ſanguis, ſcire licebit,
Quíſnam humor toto fuerit cum ſanguine mixtus,
Num phlegma, aut fuerit bilis. nam denique is humor
Attrahere ad ſeſe, quem ſplen, plerunque ſüeuit.

Sanguen


Sanguen quandoquidem possunt vitiare, proinde
Concoquere hos primùm, dein expurgare necesse est.
Mox dapibus corpus succi reparare benigni.
In summa quæcunque calent mediocriter, ac non
Siccant, effatu quod quis dignum æstimet esse,
Lac generare queunt nutricibus omnia. adaucto
At verò geminas mammas sic lacte tumere
Contingit, vix vt crebrò tolerare potis sint,
Affectum facit hunc planè contraria causa
Huic, tibi quam paulò nos commemorauimus anté.
Copia nanque boni succi, vel sanguinis ampla.
Huic vitio sanè extemplo succurrere par est,
Ne rapiat miseras fortè inflammatio mammas.
Ergò secunda tibi vena est mediana vocata,
In cubito, vel mittendus de poplite sanguis,
Hinc tutò possis leuiter reprimentibus vti.
Posca igitur modicè calida si spongia mollis
Sit madefacta, dehinc digitis expressa manúve,
Vberibúsque admota statim nutricis, ea ipsi
Profuerit: totum sic certè conferet ouum
Impositum, roseo, forsan ne decipiâre,
Affuso, aut myrti, aut alio astrictoria cui sit
Vis oleo, & parti cataplasmatis instar adactum:
Accipito cyami dragmas bis quinque farinæ,
Atque aphacæ septem, plantaginis adde maniplum:
Seminis althææ, coriandri, portulacæq́,
Ac lini ana duas dragmas: concoctio fiat
Donec concrescant, addendo subinde rosarum
Myrtiníque olei quod sufficit, acris aceti
Adde aliquid, rursùm fiat decoctio lenta,
His oui apposito solo, duplicíve vitello.

Emplastrum

Emplastrum fiat nutricibus vtile. Nobis
Atque hæc de hulceribus dixisse satis sit.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER

OCTAVVS.





OS suprà capitis morbos & pectoris vnà
Attigimus, nobis illos memorante Thaleia,
Restat ad infernas iam nunc descendere partes.
Musa refer quæ sit tantorum causa malorum,
Quæ via, quæ ratio veniat seruanda medendi.
Ex intemperie quauis plerunque remittit
Ventriculus vires, fundóque grauatur in imo.
Nanque intemperies vehemens (quæcunque sit illa)
Infirmat fusas per singula viscera vires,
Infirmatur item vitiosi nomine succi
Illic contenti, spacio seu ventris in alto
Hæreat, ínque sinu, tunicis seu perstet in ipsis.
Feruentem stomachum nosces æstúque sitiq;.
Frigiditas acido ructu fit cognita, quanquam
Multa fames, sed nulla sitis comitetur eandem.
Ast vbi lingua atque os hument, & larga saliuæ est
Copia, perfacile est vitij deprendere causam.
Humiditas dominatur enim, stomachúmque fatigat.
Si verò sitiat, si copia nulla saliuæ,
Corpus & arescat, capiant nec lumina somnum,

Sicca

Sicca intemperies meritò censebitur esse.
Humorum sed si sit copia larga malorum
Ventriculo contenta ægro, tunc nausea ructus,
Et vomitus sequitur, dapibus stomachúsque grauatur.
Bilis vbi exuperat tetri fit ructus odoris.
Sentitur morsus stomachi, sentitur amaror
Linguæ, fit bilis vomitus teterrimus ore.
Nulla fames, verùm sitis aspera faucibus hæret.
Si pituita sitis nulla est, orosio nulla
Ventriculi, his acidi ructus, & tensio fiunt.
Quod si nigra intus bilis fortasse redundet,
Et metus, & mœror, ructúsque, sequentur olentes
Pisciculos putres. fundóque erit angor in imo
Oblæsi aut potiùs certa in regione lienis.
Omnem intemperiem semper contraria quæque
Emendant, quod tunsóres lippíque fatentur.
Si verò vitio succi (quicunque sit ille)
Ventriculus proprias vires, robúrque remisit,
Apto peccantem humorem medicamine tolles.
Nimirum illius vires si fortè remisit.
Bilis in ambabus tunicis absconditus humor,
Eiusméive sunt, aut spacio purgabis amaram
Educente aliquo sensim medicamine bilem.
Hoc verò scutum stomachi regione locetur,
Quando frigoribus rigidis accepta feretur
Passio, nec causâ processerit illa caloris.
Accipito piperis longi, nigríque nucísque
Moschatæ ana duas dragmas. vnámque cyperi
Radicis, macis, galangæq; aggalochíque,
Mastichis, & ladani ana duas, hæc omnia nardi
Excipias oleo & cera, scutúmque parabis,

Quo se ventriculus firmet, frigúsque repellat.
Magna placanda est cura studióque dolentis
Ventriculi quoque nunc regio. nanque actio cum sit
Eius chilosis cunctis communis alendis
Partibus, humani nimirum corporis: æquum est
Placare in primis crudum immitémque dolorem.
Hic contingit vbi in stomacho teterrimus humor,
Atque venenosus mordénsque tenetur acerbè,
Vnde homines plerunque anima linquuntur euntes.
His sic affectis, quæcunque refrigerat esca,
Quæq; potest ventri robustas addere vires
Conueniet, si participet contenta calore;
Humiditas, ventrémq; premat, rodátque valenter.
His multùm vomitus, necnon deiectio prosunt,
Opportuno si fuerint in tempore facta,
Pérque ea quæ putres educunt corpore succos,
Posthæc ventriculo conabimur addere vires,
At si feruorem nimium conceperit intus,
Æstuet, arescat, calido velut excitus igni,
Huic alio poteris quodam succurrere pacto.
Hic verò affectus generatur sanguinis amplo
In partem influxu, quod te dolor anxius vnum,
Assiduúsque docet, quod & attestatur abundè
Cum grauitate tumor, febrísque, & nausea magna.
Sit tenuis victus simul exquisitus oportet.
Curandi ratio quamprimum à sanguine nobis
Incipienda venit, modò copia sanguinis adsit,
Et vires constent. posthæc reprimentibus aptè
Et medicaminibus potes adstringentibus vti,
Apponésque isthæc fuerint qua parte dolores,
Quáque tumor maior, quáque humor iniquiùs hæret.
Ventriculus siquidem, simul os ipsius eorum

Amplexu, quibus est virtus astringere gaudent,
Flammatúmque magis si sentiat ille calorem.
Qui solis igitur laxantibus vtitur, omni
Contempto illorum numero quibus ingenita est vis
Stringendi partes & vires conciliandi,
Ægros inducit miseræ in discrimina vitæ.
Quare olea his queis cum pira sint syluestria cocta,
Quæq; albent tenera quadam lanugine mala,
Romaniq; comæ absynthi, vel succus eorum,
Congrua sunt stomachi vitio, morbóque grauatis.
Accedunt dictis etiam bolus Armeniorum,
Purpureæq; rosæ, mastíxque, hordíque farina,
Santaláque, istiúsque modi complura. sed ille
Si vires habeat iam sic virtute minutas,
Ac imbecilles, vt sumpta cibaria possit
Ne retinere quidem, vomitu sed reijcit illa,
Omphacium suprà dictis, hypochistida, gallas,
Antheram, atque rhoim, miscebimus, acatiámque,
Quippe astringendi omnibus est innata potestas.
Quare seu fuerit quo tale vteris oliuum,
Seu fortè vnguentum, seu sit cataplasma, necesse est
Illorum ex numero semper miscere decenter,
Quæ stomacho robur, virésque adiungere possunt.
Atque hæc frigida sunt actu imponenda, modò sit
Maxima, non autem stomachi inflammatio parua.
Abluere interea clysteribus expedit aluum,
Aut casiæ ventrem molli purgare medulla.
Æstus si fuerit vehementia forte remissa,
Conuenit in summa laxantibus addere semper
Illa quidem quorum vis est astringere nata.
Propterea solis laxantibus vtere nunquam,

Λογμὸς *singultus veluti conuulsio quædam est*
Ventriculi, quam propultrix innata facultas
Excitat, enitens extrudere noxia longè.
Magna ex parte fit, aut dum copia larga mouetur
Humorum in stomacho, totúsque immergitur illis,
Aut dum ventriculi tunicæ redduntur inanes.
Fit quoque ob humores acres, aliquando maligni
Participésque cibos succi, at corrodere natos.
Qualia sunt tristi corrupta cibaria ventre.
Quin & frigiditas nimia ori ventris oborta
Singultus causam potuit plerisque dedisse.
Frigiditati itaque acceptus si fortè feratur
Affectus, valeas oleo (quodcunque sit illud)
Calfaciente aptè ventris bene inungere partes.
Déque super mollem poteris componere lanam.
In potu prodest vinum, tritúmque cuminum,
Aut asarum, aut apium per sese aut quod libet horum,
Permixtum vino aut calido quocunque liquore.
E' squilla per se sumptum laudatur acetum.
Castoreum pariter confert: seu frigore liguros,
Seu non laudati procedat numine succi,
Scilicet vnius duntaxat pondere dragmæ
Ex posca sumptum quin & conducit vtrisque
Ex oleo antiquo, ventri stomachóque repostum.
Quid multis? etiam detentus anhelitus ore
Profuit, & totum singultum sæpe repressit.
Humorum verò si lignum copia gignit,
Auxilium vomitus fuerit laudabile, crassis
Collectis autem lectísque humoribus intra
Ventriculum, cunctos tute extenuato syrupis
Vtilibus, necnon illos incidito primúm:

Tales

Tales è quinque & geminis radicibus, atque
Ex squilla fiunt, calamento marrubióque.
Posthæc humores quæcunque auertere possunt
Præscribes, nocuósque trahunt è corpore succos.
Frictio, vincla pedum, manuúmq; sed aspera prosunt,
Aspera, non tamen vt valeant oblædere partes.
Sunt certi fines, meta est certissima rerum,
Vltrà quæ recti nequeas præscribere quicquam.
Exin conducet defixa cucurbita dorso,
Clunibus, atque etiam ventri, geminísque subinde
Cruribus, vt partem diuertat materiei.
Et moderatus erit motus gratissimus ægris.
Vtiléque in primis virides equitasse per agros
Censetur multis, sed tempestate serena.
Conuenienter & his sternutamenta licebit
Accipere, Hippocrates veluti testatur apertè,
Singultu apprenso fit sternutatio cura.
Quin & ventriculus foris est firmandus & intus,
His medicaminibus quæ robur, quǽq; vigorem
Addunt, natiuúmque valent seruare calorem.
At quoties λυγμὸν facit euacuatio, prosunt
Effatu digni præscripta cibaria succi,
Quæ defectum explent, recreántq; in corpore vires.
In qua singultus specie, ceruicis oportet,
Atque etiam ipsius vertebras vngere dorsi,
Humectante oleo, quale est quod amigdala, quódque
Conficiunt violæ, noménque recepit ab ipsis.
Porrò singultum à mordaci humore profectum,
Alleniat vomitus: teter nam pellitur humor,
Et prosunt pariter lentum quæcunque saporem
Inducunt, sensímque valent obtundere sensum.

Vt quæ frigida sunt, velut est lactuca, papauer,
Intybus hortensis, portulaca, semináque horum,
Déque cinoglossa medicamen, philoniúmque,
Si velit ægrotans tantillum sumere, quin &
Mirificè affectu lac commendatur in vno hoc,
Præcipuéq; asinæ, nouiter quod ab vbere tractum est.
Ipsáque sulapia è violis confecta rosísque, &
Nymphæa, istiusque modi complura farinæ.
Frigore ventriculi quoque fit βουλίμια Græcis,
Immoderata fames nostris, meritóq; vocata.
Gignitur ob succos acres in ventre receptos
Ventriculi interna, os eius, totúmque frequenter
Mordentes, nimio a iecoris plerunque calore
Dependet vitij totius fons, & origo.
Interdum propter transfusam largiùs atram
Ventriculo bilem, quodam ascendente meatu
A' splene ad stomachum. nam tunc exugitur ille,
O'sque intus totum, succi ratione nocentis.
Venit & interdum totum cum corpus inane
A' morbo effectum est, interdum à vermibus orta est.
Frigida si verò vitium pituita creârit,
Curari poterit victus ratione calente,
His quoque materiam quæ crassam soluere possunt.
Quale quidem vinum est fuluum pleniúmq; calore.
Nanque fames cedit vino superata meraco.
In summa, peccans medicamine phlegma repurga,
Ventriculumq; cibis firma, medicaminibúsque.
Ex intemperie quauis quoque sæpius hepar
Inflammatur. eo affectu quicunque tenentur
Hepaticos illos dixêre.
Si calor in causa fuerit vehementior æquo

Humores iecoris veluti comburit, & assat.
Tum quos ipse sibi traxit, tum denique mille,
Mille mesaisterij è venis quos attrahit ad se.
Frigiditas verò crudum, incoctúmq; relinquit
Attractum humorem iecori. nam quisquis ab ipso
Humor ventriculo per venas fertur ad hepar,
Parte aliqua crudus posset coctúsque videri.
Perpetuò humiditas humores reddit aquosos,
Sicca intemperies siccos magis, ac mage densos.
Si calor exuperet succum carnémque subinde
Eliquat, & partes humani corporis omnes,
Atque iecur totum, febríque exæstuat æger,
Et subrussa vomit, simul & corrupta per aluum
Deijcit, & tetri fæces mittuntur odoris,
Infestáque sitis pulsúsque celerrimus errat,
Vrináeq; nimis flauæ, rubræve videntur.
Quòd si frigiditas vitij damnetur iniqui,
Non ita erunt fæces tetri, nec putris odoris.
Tum color ipse alius, tum consistentia ab illis
Apparent, præ séque ferunt quid sanguinis atri,
Concreti in grumos, ac putris denique facti.
Dilatatur ad hoc vitium, ertísque diebus
Venter abit, vacuósque alui petiêre recessus.
Et veluti limus fex hinc depellitur atra.
Quin etiam varij mixtum persæpe colores
Esse intemperiem monstrant à frigore natam,
Languida queis febris comes est maiórque subinde
Consequitur fames, & facies non excidit æquè,
Ac si flammato forsan premerentur ab æstu.
Ariditas autem si quæ successerit vnquam,
Parciùs eyciet fæces, iam siccior aluus.

Sin verò humiditas superet, se largiùs vnum
Venter ab impuris purgabit fæcibus, & iam
Non erit æquè istis sitis aspera, quàm fuit illis.
In calido affectu victus ratione necesse est
Vtier opposito. Mensura sed vsque tenenda est.
Hic cremore igitur ptisanæ conduxerit vti.
Lactuca, endragne debent in iuscula poni,
I'nque tybi, & sonchi: pistus bene panis, auésque
Monticulæ, turdi, perdices, & phasiani
Conuenient: necnon gallinæ filius albæ,
Talis qui Veneris nondum commercia norit.
Sunt etiam carnes vitulinæ his omnibus aptè,
Omphacio affuso, vel ijs limonibus ipsis
Impositis, coctísve simul: teneros ego nusquam
Cappones, nobis cuperem procul esse remotos.
Sint sine vino epulæ, tamen id in fortè requirant
Ventriculi vires lapsæ: quo tempore, aquosum
Et tenue ægrotans, tuto (me iudice) sumet.
Pro vino vtendum succo, quo punica mala
Prædita sunt, acidum pariter quem quique syrupum
Appellant, proprios poteris conuertere in vsus.
Hórque dei, ínque tybi decocta affundere dictis.
Abs se proyciat condita cibaria melle,
Quæ'que calorifica vi sunt incidere nata.
Consimiles & ijs potus, procul abyciantur,
Ast hoc scire loco fas est ac vtile nosse,
Quod quæcunque sibi vsurpant medicamina, tales
Hepatici, foris aut intus constringere natum,
Quid permixtum habeant semper, quo visceris ampla
Egregij virtus, vitæ seruetur in vsum,
Semper enim iecoris vires seruare necesse est.

Antidoti capias cui dant tria ſantala nomen,
Cuique roſæ ana duas dragmas, hinc ſeminis adde
Hortenſis ſeridis geminæ, pariterque roſarum,
Ana vnum ſcrupum, caſſuthæ, floris odori,
Iunci ſemiſſem ſcrupi, paſcæ omnibus vuæ
Adiunges aliquid, ſquinanthi, piſtaciorum,
Et nardi, & Romani abſynthi, cinamatiq;,
Semiſſem dragmæ poteris coniungere dictis.
Hinc dragmas bis ſex diſſoluito ſacaris albi,
In ſtillatitio caſſuthæ aptoque liquore,
Intybi & hortenſis, rotulas dein fingito plures.
Quin & philonium (quod dicunt) hæpatis omnem
Sæpe intemperiem calidam ſanauit, eamq;
In reliquos vetuit vitæ dominarier annos.
Apponenda foris venient fomenta roſarum,
Anthemidiſque oleis mixtis, malique Sidontis.
Hoc verò vnguentum multùm conduxerit ægris:
Accipito mellini olei pariterque roſarum &
Nympææ quadruplex quantùm ſeſe vncia tendit:
Adde roſas rubeas, tria ſantalia, ſemen iiſque
Endiuiæ vnius duntaxat pondere dragmæ,
Grana tria & caphuræ, modicumque addatur aceti,
Et cera adiecta vnguentum formetur in vſum:
Ramentorum arboris ſcrupum ſubiungito dictis.
Hoc etiam ſic affectos epythema iuuabit,
Quod ſtillatitij, violæque roſæque liquoris,
Bugloſſi, endiuiæ, lactucæ, oxalidis in ſe
Continet, in totum quadruplex quantum vncia poſcit.
His ſemperuiui ſucci, ſimul acris aceti
Miſce aliquid: poſt hæc etiam tria ſantalia iungi
Purpureæque roſæ, atque horum electaria debent,

Se quantum quinæ diſtendunt pondere dragmæ,
Et ſemis ſcrupus caphuræ quibus omnibus aptè
Permixtis, fiat Graijs ἐπιθήμα vocatum.
Aſt vbi frigidius iecur eſt, contraria debent
Præſcribi, ſimul ac quæ poſſunt addere vires:
Fœniculum, hyſſopum venient in iura locanda,
Saluiáque, & noſtris vulgò ſatureïa dicta:
Vtatur dapibus ſucci melioris: alauda,
Turdo, gallinæ pullis, perdice, columbis.
Sumat odoriferum vinum fuluique coloris.
Suſpecti tibi ſint fructus, ac omne legumen.
Piſces, & breuiter quicquid refrigerat vnquam.
Vtatur motu modico, nanque otia lædunt.
Lentiſciui olei ſume, abſyntíque quadrantem,
Succi eupatori dragmas tres, maceris vnam,
Moſchatæque nucis, galangæ'que, aggalochiq,
Ana duos ſcrupos, ceræ quod ſufficit albæ,
Fiat & vnguentum, læſum quo viſcus inunges.
Intybus hepaticis, hepar pariterque lupinum,
Limacúmque caro, ſed & è limacibus humor
Diſtillatus, habent multùm conducere ſumpta,
Ex virtute illis quadam diuinitus orta.
Obstruitur verò iecur aut à flatibus intrà
Semet collectis, coctiúque rebellibus, aut à
Viſcoſis valde craſsíque humoribus. horum
Signa hæc ſunt, cauſas quibus & cognoſcere poſſis.
Quando malum a craſſo flatu procedit obortum,
Sub coſtis falſis grauitas, non parte ſiniſtra,
Sed dextra ſeſe, ſimul & diſtentio prodit.
Si verò a craſſis lentíſque humoribus ortum
Sit vitium, inſequitur grauitas coniuncta dolori.

Nunc obtusa quidem, febrísque immunis acutæ.
At nunc magna tamen, calidæ'que obnoxia febri.
Exquisitus erit victus, qui incidere possit
Infartos illos, patientum in corpore succos,
Fœniculo, asparago, porris, apióque, thymóq;
Vescatur siquidem sunt ex his iura paranda
Carnibus impositis succi tenuísque boniq;.
Nam lenti longè vitanda cibaria succi
Omia sunt, vini & veteris, fuluíque lyæi
Potus erit. quid enim Bacchi præstantius vuis,
Aut quid peius aqua, hoc vitio morbóque grauatis?
Attenuare etenim, crassósque incidere nobis
Expedit humores, clausósque aperire meatus.
Obstruit intus aquæ potus iecorísque vias, &
Nonnunquam venarum etiam parua ora, cutímq;
Deforis inspissat, cæcósque astringit hiatus.
At vinum præterquam quòd tenuétque coquátq;
Humores crudos, generat laudabile sanguen,
Roborat infirmúmque iecur stomachúmque, ciétq;
Vrinas, & sudores & operta recludit
Spiramenta cutis, fessos & roborat artus,
Inducítque oculis gratum lætúmque colorem.
Hæc autem reserant sine noxa obstructa, lupinum
Hepar, anisum, apium, pistacia, amygdala amara
Glycirriza, asarum, cassutha, dracunculus, iris,
Cyclaminus, stæcas, ceterach cicerésque, acorúsq;
Intybus, & fumus terræ, rusci, asparagíq;
Radices, camæpitis, tristésque lupini,
Capparis absynthi frondes, & barbara radix.
Ergò ex his poterunt medicamina plura parari,
Præsertim decocta, tamen miscendo syrupos

E'squilla

E' squilla, hyssopo, calamenta, marrubióque,
Et fumo terræ, si sic expostulet vsus.
Pastillos etiam poteris præscribere tutò,
Indica queis radix pariterque absynthia nomen
Atque alquecangi donant.
Huc dialaccæ etiam diacucurmáque vocetur
Antidotus. Iecur hæc etenim plerunque leuauit
Dimouitque malum, sublata à viscere causa,
Affectúsque sequi morbos quicunque süerunt:
Vnguenta huc etiam possis accersere dicta
De iecore infirmo, necnon epithemate. verùm
Ceratum hoc illis multùm conducet, opinor.
Sume lupinorum fœnograecíque farinæ
Ana duas dragmas, asari, radicis & albæ
Ireos ana vnam: absynthi, caruique & odori
Iunci scrupos tres, & anisi fœniculíque,
Ana duas solùm, thuris, myrrhæque, nucísque
Moschatæ, aggalochi, nimirum & masticis ana
Tantundem: ceræ & resinæ quod sufficit adde,
Hæc que absynthino ex oleo complectere, & inde
Fac in cerati iustam coalescere formam.
Ventriculum veluti magno feruere calore
Accidit interdum a confluxu sanguinis amplo,
Sic certè interdum solet inflammarier hepar.
Quod dum fit, nusquam grauitas in parte sinistra est
Sed dextra vehementer ibi sentitur acerba,
Ad iugulum veniens, costarum ex ossibus imis,
Fitque tumor quidam iecoris regione timendus:
Si pars præsertim gibbosa dolore prematur,
Tussis parua quidem sequitur, sed febris acuta
Infestat torquétque ægros, atque aspera linguam
Excruciat

Excruciat sitis, éque vomunt de pectore bilem.
Spiritus ægrè ipsis etiam pulmonibus exit,
Stipatur venter, nec quicquam excernitur illo,
Mutatúrque color totius corporis, vnam
Arquati in morbi speciem, singultus eosdem
Consequitur sæpe, & læsa deliria mente.
Porrò inflammetur iecoris si portio sima,
Immoderata magis fit adhuc sitis asperiórq;,
Nauseáque & bilis vomitus deterior illa,
Et prostrata fames. Quòd si pars galba calore
Æstuet, haud dubiè tussi grauiore prementur,
A' dextróque loco dolor ad iugulum vsque feretur,
Sæpe vt conuelli videantur partibus illis.
Contingit verò nonnunquam vt musculus vnus
Incumbens iecori, vel plures afficiantur.
Ex quo falluntur quidam sub imagine recti,
Credentes hepar magno feruere calore.
Ergò nequicquam iudex temerarius esto.
Cœpit vbi primùm iecur inflammarier, æquum est
Elatam cubiti ferro compungere venam,
E' regione loci recta, tantúmque trahendum,
Quantum vis morbi, viré sque ætásque requirunt.
Pòst mollis clyster, si tum nil deijcit aluus,
Inijciendus erit, nimirum mane sequenti.
Hinc humeris veniet figenda cucurbita, necnon
Clumbus, ídque iterum cum multo scilicet igni.
His ita perfectis, nobis fomenta parentur
Ex lana madefacta oleo, de mastice, déque
Sidontis mali fructu, myrtóque, rosísq;.
Pars tamen affundi vini debebit odori.
Semper enim par est tibi discutientibus, hoc in

Affectu miscere, quibus vis stiptica virtus
Visceris huius enim sola hac ratione iuuatur.
Accipito mali pulpæ è Sidonte profecti
Dragmas tres semis, fœnogræcique farinæ,
Atque hordi quatuor, sed lini seminis vnam,
Dragmæ semissem florum meliloti & odori
Iunci, atque absynthi dragmam vnam. fortis aceti
Quatuor, absynthino oleo paritérque rosarum
Affuso, emplastrum nobis seruetur in vsum:
Pulpæ palmarum fructus tres accipe dragmas,
In vino veteri simul astringente repostæ
Myrrhæ atque infusæ duplicem, styracis & vnam &
Masticis, anthemidis florum paritérque rosarum, &
Absynthi ana duas dragmas, crocus adijciatur
Ad scrupum, posthæc oleo conspersa rosato,
Iuxtà ac mellino coalescant singula, cera
Et resina admotis, ceratúmque efficiatur
Ex arnoglosso poteris decocta, rosisq;
Et camæmælo, atque absynthio, idonea valde
Conficere, atque ex his mixtis epythema parare.
Ex illorum etiam id possis præstare liquore.
Frigida sed nunquam debent apponier actu,
Sed calefacta. rursum te scire decebit,
Feruor vbi vehemens tibi adhuc sentitur inesse,
Tentandum potiùs iecori tunc addere vires
His medicaminibus, quibus astrictoria vis est,
Quam iecori affecto noxæ laxantibus esse.
Contrà feruor vbi magna plùs parte resedit,
Efficies siquidem licet astringentibus illa
Tunc præstare, quibus vires sunt excutiendi.
Ast vbi circunstant praui magníque dolores,

Sunt

Sunt etiam ſanè quibus eſt lenire poteſtas
In potu ſumenda ægro, licèt vſus eorum
Aſſiduus noceat, viréſque infirmet abunde.)
Glycirrizæ igitur ſuccus (nam proſtat vbiq;
E calida ſumetur aqua, ſic poſtulat vſus.
Erigerotis item decoctio ſumpta iuuabit,
Intybáque ipſa etiam modico cum melle valebunt,
Idque magis multò ſuccus detortus ab illis.
Interea veniet venter clyſtere mouendus,
Vel decoctæ vrticæ eſu, vel Mercurialis.
Præſertim morbus quando inclinatur abítq;.
Tunc expurgari nimirum interna requirunt.
Ergò polypodum in mulſa dabis, epithymúmq;,
Præcipuè iecoris ſi pars interna caleſcit.
Viſceris huius enim caua pars purganda per aluum.
Gibba per vrinas veniet teſtante Galeno.
Interea tenuem par eſt præſcribere victum.
Hepar enim poſcit quæcunque cibaria poſſunt
Obſtructas reſerare vias, cæcóſque meatus:
Qualia ſunt tenuis quibus eſt eſſentia, morſum
Citra vllum quæ ſumpta valent corrodere nuſquam:
Vt mulſa, vt ptiſana eſt, ptiſanæ cremórque vocatus,
In quo apium fuerit coctum. quin iura parata
E teneris galli pullis, perdicéque proſunt,
Intybáque impoſitis his paſſis ſcilicet vuis.
Ex intemperie quoque ſplen quæcunque laborat.
Interdum tamen humiditas vitioſa fatigat,
Frigiditáſque illum, reliquíſque frequentiùs vrget.
Omnem intemperiem ſemper contraria tollent.
Si verò in ſplenem vitioſus confluat humor,
Cum grauitate dolor ſentitur parte ſiniſtra.

Spectan

Spectandum verò qualis fiet ille fluor. nam
Si bilis fuerit defluxus causa, calorem
Per venas fundi totius corporis omnem
Continget. quanquam videatur febris abesse,
Vriæque color flauus, pariterque oculorum,
Atque cutis pariter plerunque videbitur esse.
Quòd si diducto linguam spectaueris ore,
Apparebit & hæc subflauo tincta colore,
Ariditate nimis multùm vexata sitiq;,
Præterea & bili, neque delectabitur escis.
Si verò fuerit nigræ defluxio bilis,
Eius & in lingua color, atque in corpore toto
Ater erit, patiénsque auidè vescetur, & idem
Subtristis viuet, curáque metúque premetur.
Sin autem miserum influxit pituita lienem,
Consimili ægrotans spectabitur esse colore,
Nec sitiet nisi salsa tamen pituita supersit.
Sæpe etiam obtusis consueuit sensibus esse.
Nonnulli acquirunt durum magnúmque lienem.
Ergò si ex intemperie cum materiei
Affluxu, vitij totius pendet origo,
Humorem primùm crassum incidisse syrupis
Endiuiæ, epithymi, fumi terræ'que licebit,
Dein nigram purgare aliquo medicamine bilem,
Id quod folliculi sennæ, pilulæ quoque possunt
Aureæ, & fumo terræ, simul aggaricóq;
Et lapide armeno, confectio præterea amech,
Et certè istius generis complura deinde
Quæ parti affectæ possunt medicamina vires
Adijcere, haud dubiè multùm conduxerit ægris
Sumpsisse hæc quocunque modo capiantur ab ipsis.

Immod

Immodicum quòd si hoc viscus conceperit ignem,
Nimirum à nimio confluxu sanguinis atri,
Huic nobis alia veniet ratione medendum.
Id nosces grauitate loci, paritérque tumore,
Qui non ad tactum cedit, cæcóque dolore.
Nam sensum exactum spleni natura negauit.
Victus erit simplex ratio, quia tutior vnquam
Nulla fuit, nulla esse potest, & nulla videtur.
Ob quam rem succus ptisanæ, cremórve paratus
De more, vtiliter nobis præscribitur, atq;
Immaceratus aqua panis, piscésque süerunt
Inter qui scopulos, & puras inter arenas
Viuere, non autem villi immiscerier algæ,
Fluminibúsque altas præterlabentibus vrbes.
Hæc præter teneras auium præscribito carnes,
Quæ syluas montésque colunt locáque ædita nanq;
Stagnorum venient ægri ad ientacula raró.
Correctæ sit potus aquæ, vini vel aquosi.
Si nihil impediat veniet pungenda lienis
Vena tibi, vel quæ nunc saluatella vocatur.
Tantáque debebit detractio sanguinis esse,
Qantum vis feruórque mali virésque requirent.
Assiduis etiam clysteribus abluere aluum
Expediet, crassásque infrà retrudere fæces.
Mox quæ viscus habent læsum firmare lienem
Præscribes: veluti sunt astringentia plura,
Quæ possunt etiam nimium cohibere fluorem
Humorum, & partis læsæ seruare vigorem,
Tempore ne longo morbo superata fatiscat.
Nec sunt sola tamen quibus astrictoria vis est
Vsurpanda, sed his etiam quæcunque calore

Participant, modicè tenuant, paritérque relaxant,
Miscebis, crassus certè ne succus illo
Obturatus adhuc magis incrascescat. oportet
Ergò prædita sit duplici virtute recepta,
Quam tunc præscribes, partíque apponere læsæ
Præcipies, qua splen nimirum parte grauatur.
Quapropter moderata sit inflammatio splenis,
Dulci oleo vinum vetus austerúmque decenter
Miscebis, lana excipiens partíque reponens,
Maiori verò viscus si fortè calore
Tentetur, mellinum oleum miscebis aceto,
Cum camæmælino oleo paritérque rosarum.
Quòd si fortè olei talis tibi copia desit,
Pulegium, absynthíque comæ imponantur oliuo
Communi, mixtis tenera lanugine malis,
(Sidonios siquidem fructus intelligo) mixtis
Hisce rubi & folijs, reliquis huiúsque farinæ,
Hæc nisi sufficiant, hæc ni satis esse videntur,
Cuncta exin lentum de more coquantur ad ignem.
Vtitor his, splenémque diu noctúque foueto,
Sed longè à pastu. sit & id tibi mente repostum.
Frigida perpetuò fieri contraria spleni,
Si forsan parti iungantur talia per se.
Participent igitur læui apponenda calore.
His ita disp sitis, valde cataplasmatis vsus
Profuerit, simul emplastri, quæ diximus antè,
Cùm iecur in flammas versum curare liceret,
Viscera quippe ambo simili virtute requirunt
Omnia, sed tamen hoc debent differre lienis
Pharmaca quòd tantò deceat maioribus esse
Viribus hæc, quantò mage crassa alimenta süeuit

Pars

Pars trahere. vtpote cum nigro ſplen ſanguine viuat.
Obſeruare tamen debes vt portio aceti,
Et quæ ſemper habent robur ſeruare lieni,
Gratáque ſunt parti læſæ, ponantur in iſtis.
Hac nempe infirmum viſcus ratione leuabis.
Ex hoc ſæpe malo ſplenem contingit abire
In ſchirrum, durum quendam, tetrúmque tumorem.
Humor cauſa mali eſt ſpleni vehementiùs hærens.
Quod vel ſolo etiam poteris deprendere tactu.
Sit ratio extenuans victus ſuccíque boni. Ergò
Craſſa alimenta, ægro quanuis ſint chara, relinquet.
Sit tenue & fuluum vinum. nam craſſius æquo
Officit, humores nocuos in corpore gignens.
Otia quin etiam quanuis liberrima mutet.
Exerceri etenim valet ante cibaria multum,
Emanet primus donec de corpore ſudor.
Ægrum etiam voces violentæ ſæpe leuârunt.
Incipito à validi curam medicaminis vſu.
Hoc ſiquidem citra noxam tolerare valebit,
Siue per os ſumat patiens id, ſiue foris ſit
Admotum. interea radices capparidum, hæq;
Conuenient, thamaricis item cum germine radix,
Ceruinam poſſis & iys annectere linguam:
In tenui, melle adiecto, infundantur aceto
Singula, dein lentum de more coquantur ad ignem.
Succus prætereà centauri, nempe minoris,
Proderit epotus valde, triſtíſque lupini
Decoctum, pipere iniecto, rutáque, thymóq;.
Quin etiam ſcrupum prodeſſe anagallis ad vnum
Fœmina cenſetur cum poſca ſumpta lieni,
Indurato etiam ſchirro laudabile valde

Ferrum existit aqua, vino, poscáve subinde
Extinctum, verùm primis ea pota diebus
Vtilior, quanquam possis ex ordine longum
Vti per tempus. si febriat attamen æger
Abstineat vino, ne spiritus inflammetur.
Vtiliter possis fomento hoc deforis vti:
Accipe centauri, maluæ, rutǽque maniplum,
Corticis his dragmam radicum capparis adde,
Tantundem linguæ ceruinæ apiique, coquantur
Donec decocti tibi portio iusta supersit.
Affundes tamen his aliquid bene fortis aceti:
Intingatur ijs philtrum vel spongia mollis,
Qua splen sæpe tibi veniet calidéque fouendus.
Has post affectas partes speciésque malòrum,
Icterus ipse quidem contingere sæpe süeuit,
Qui tum demum fit, quoties vel flaua vel atra
Bilis per partes se fundit corporis omnes,
Inficitúrque cutis flauo nigróve colore,
Sæpe nihil læso, morborum in crisibus ipsis,
Hepate procedit, nonnunquam cum sine febri
Sanguis ab externo casu corrumpitur,
Et fit liuidus, aut flauus: veluti si lubricus anguis
A puero pedibus culcetur fraga legenti,
Et subitò incautum feriat ferus ore trisulco:
Sic cum vipereo morsus quis dente fuisset,
Porrorum est visus maculatus menbra colore.
Quin etiam affectum iecur hæc plerunque sequuntur,
Vt si intemperie calida fortasse laboret,
Aut inflammetur, sic vt pallentibus herbis
Esse color similis videatur corporis esse,
Et præ se plumbi nonnunquam ferre colorem.

Omnia

Omnia contingunt magis atra liene dolente.
Fit quoque folliculi fellis virtute minuta,
Vtpote cum flauam bilem non attrahit ad se
Ex iecore, vt possit sanguis purgarier omnis.
Massam igitur totam flauam impurámque relinquit.
Huius sæpe mali vasórum obstructio causa est,
Debilitásque etiam. quin & plerunque meatus
Obstruitur, qui ventriculum defertur ad ima, à
Parte caua iecoris, vesica vbi pendula sedit.
Folliculum hunc fellis multi chistimque vocârunt.
Qui morbo arquato per febres corripiuntur,
Et naturales fæces reddunt, lotiúmq;,
Quod non damnârit quisquam, prauúmve vocârit.
Si verò grauitas dextra sub parte recumbat,
Febriat, & flauæ fiat deiectio bilis,
Hæc tibi significant iecur incaluisse potenter,
Et totum flauo repleri sanguine corpus.
Sanguis enim nimio in bilem fortíque calore
Degenerat: velut à nimium fit phlegma remisso.
Si sine sit grauitate calor manifestus in illo,
Ex intemperie calida dicetur obortus.
Quòd si non tinctum stercus detruditur aluo,
Et dextri lateris grauitas sentitur, & omnis
Suspicio febris procùl esse videtur, amaræ
Obstructum bilis censebimus esse meatum.
At si nulla hominem grauitas, febrísque molestet,
Taliáque excernat, quæ nunc tibi diximus, horum
Infirmas sanè vires fateare necesse est,
Aut attractricis, sibi quæ subrusa trahebat,
Aut expultricis, quæ deturbabat ad aluum.
At quibus atræ humor bilis cum sanguine partes

Ad circumpositas à centro fertur (opinor)
Hi reliquis multò grauiùs patiuntur, habéntq;,
Et nulla ratione graui mœrore premuntur,
Et quæ sunt circa ventrem mordentur, & ægrè
Respirant, subeúntque cibi fastidia, nigram
Vrinam excernunt interdum, fæxque colore est
Nonnunquam similis calchanti ventre reiecta,
Et siccatur podex. Signa hæc communia sunto:
Pigricies, motus tardus, pruritus in omne
Corpus, pallida frons, faciésque, oculíque, genæq;,
Linguáque, & immodico complentur sanguine venæ.
Quando bona arquatus crisis ratione creatur,
Febri finita, non hic curabitur ægrè,
Tum calidis opus est corpus recreare lauacris,
Obstructámque cutim reserare, atque inde valenter
Discutiente oleo, patientis inungere corpus,
Hac sola multi salui ratione fuère.
Huius si vitij dirum sit causa venenum,
Præsidijs tolles bene conuenientibus illud.
Qua ratione canis morsus sanatur. iniqua
At verò quisquis iecoris calidáque laborat
Ex intemperie, vel eo quia viscus in ignem
Vertitur, antè quidem repetes quæ dicta fuerunt.
Obstructus si folliculus fellis videatur
Causa mali, venam in primis incidere par est,
Aut totum sanè corpus purgare. proinde
Corpus vbi totum repletur sanguine, bile
Permixta, circúmque iecur, circúmque lienem
Pondus adest, aut has iuxta distentio partes,
Vtilius nihil est nocuum quàm educere sanguen.
Quòd si quò minùs id fiat, fortasse vetamur,

Aluus

Aluus erit quouis acri clystere mouenda.
Nam magis est propria huic morbo purgatio. tute
Humores igitur primùm extenuabis iniquos
Conueniente cibo & potu, medicaminibúsq;.
Ergò montanis auibus, saxatilibúsq;
Piscibus vteris, serpillóque, asparagóq;,
Ac reliquis. vinúmque tibi subtile parabis.
Hæc medicamina sunt apium, calamenta, adyantum,
Et radix rubeæ & rusci, & verbena thymúmq;,
Maratrum, hypericúmque, quibus decocta parabis.
Incisis tandem coctísque humoribus æquum est
Purgare epoto flauam medicamine bilem,
A leuiore tamen (mihi credito) progrediendum.
Quòd si vel nil vel modicum leuiora iuuabunt
Pharmaca, conueniet multò potioribus vti.
Sæpe etenim morbus longè grauiora requirit.
Si verò vitium veniat patiente liene,
Purgare expediet nigram medicamine bilem,
Nimirum fæces quod ducat molliter alui
Primò, deinde etiam præscribes fortius, id si
Ipsius ex vsu patientis videris esse.
His sic exactis, quæ rectè viscera purgant,
Obstructas reserántque vias, præscribere possis,
Qualis cyclamini radix, si trita bibatur,
Censetur. siquidem non solùm purgat amaram
Bilem, verùm etiam sudores prouocat. hanc tu
Accipies geminæ vel trinæ pondere dragmæ
Ex mulsa. Raphani rursum decoctio prodest,
Eiusmétve liquor, vel succus corticis eius
Permixtus vino, cassutháque, endiuiáq;.
Hoc itidem succi possunt præstare potenter.

Buftalmum dictis simul & leucanthemon addes,
Inque tybi agrestis succum, si febriat æger
Per se se, si febre quidem non detineatur,
Cum vino. nam talis erit percommodus vsus.
Simplicia siquidem medicamina sæpius in se
Plus virtutis habent, quàm quæ per cærula Nærei
Æquora, semotis ad nos mercator ab Indis
Aduexit, quæstum quærens per saxa, per ignes.
Immutantur enim, virtúsque innata, priusquam
Ad nos perueniant, veluti resoluta fatiscit.
At pedibus terimus nos abiectissima quædam,
Quorum si multis esset vis cognita & vsus,
Mirè prodessent miseris mortalibus. Oro
Quid magis abiectum terrenis vermibus, aut quid
Villius esse potest? tamen hi laudantur in vno hoc
Affectu valde. Nam si quis sumpserit æger
Hos exiccatos per tres ex ordine soles
Ex vino mulso, morbum summouerit omnem,
Pérque vreteres bilis pulsata feretur.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER NONVS.




ORTASSIS *cuidam videar prolixior æquo*
Rerum, verborum nec inops, nec inutilis esse,
At crebrò numeros vacuas diffundere in aures

Nostro

Nostro proposito indecores, artique medendi.
Conatus, vires nostras, omnémq; laborem,
Omnem operam decuisse isthuc nos ponere, vt ipsa
Ingenuæ præcepta artis, perlucida, clara,
Splendidáque, & ferrent hominũ percommoda cuiq;.
Bellè id, sed quisnam potuit præstare quod optat,
Omni viuentum ex numero, nec mente carentum?
Vilis in primis studeo dum scriptor haberi,
Semper & affecto mentem oblectare legentis,
Sors inimica rapit mihi commoda plurima, méq;
Vrget, & impellit, quò mens non ire requirit,
Errabunda, fugax, violenta, volubilis, illex,
Tristis, læta eadem, leuibúsque volucrior Euris.
Sed non omnia dij tribuunt mortalibus ægris,
Nec cuiuis homini contingit adire Corinthum.
Illud sæpe malum quod paulò est antè relatum
Longo nimirum si perstet tempore, tetrum
Hydropem inducit. sic se generare vicissim
Consuerunt morbi, in peiúsque frequentiùs ire.
Nonnulli quoniam ignaris se credere malunt,
Ex alio incurrunt aliud, grauiúsque priori.
Dum fugiunt stulti vitia in contraria currunt.
Hydropis verò species tres esse feruntur,
Asciles, Tympaniles, Anasarca. fit illa
Et iecore affecto vehementi frigore, & ipso
Splene etiam, aut alias ob pressas frigore partes
Immodico, quo fit, iecur afficiatur, eundem ob
Consensum: sic ventriculo, septóve dolente
Transuerso, iecur afficitur. Sunt denique plures
Causæ, quas longum foret enumerare volenti.
Has gnarus per se poterit disquirere lector.

Hæc ſunt tetri huius morbi communia ſigna,
Et tumor, & grauitas ventris, ſpiratio valde
Difficilis, deſiderium vehementer aquarum
Increſcit, cupiúntque Ararim, Sequanámque bibiſſe,
Induitur viridi corpus, niueóque colore.
At verò quanquam ſitis aſpera torqueat ægros,
Profuerit tamen his rariſſima potio valdé.
Quò plùs nanque bibũt, hoc plùs grauiúſque premuntur.
Creſcit enim indulgens ſibi quàm teterrimus hydros,
Nec pellit, ſedátve ſitim, niſi cauſa doloris
Abcedat, vel aquoſus erit de corpore languor.
Nanque hominis mortalis vti cum pectus iniqua
Ambitione tumet, quanuis iam plurima granis
Horrea poſſideat frumenti plena, & abundet
Carne, oleo, & vino, atque argenti pondere magno,
Expleri neſcit, ſed amore ſeneſcit habendi:
Sic quos lenta Hydrops premit, his humoris aquoſi
Quanuis exuperet repleto copia ventre,
Attamen vſque adeo ſitis exardeſcit in illis,
Vt cuperent Tygrim, fontémque hauſiſſe Tymaui.
Sed melius nihil hanc tenui reſtinguit aceto.
Sint concoctu epulæ faciles, paníſque paretur
Aridior, rectè coctus, rectéque ſubactus,
Qui ſalis & fermenti habeat quod ſufficit, anizi
Cui piſtor iungat modicum, pariterque cunimi.
Ex auibus merulæ, turdi, teneríque columbi,
Attagen & perdix, ficedulaque, & corydallus,
Paſſer, cappones, & non renuenda coturnix
Conuenient: fugiant piſces, atque omne legumen,
Multigenóſque etiam fructus, menſáſque ſecundas.
Immodico ventrem caueant replere Lyæo.

Dulcia vina, Venus, mustum procul effugienda.
Hæc est curandi ratio communis, vt aptè
Peccantem humorem sumpto medicamine purges,
Ægris id quocunque modo succedere possit
Seu venas vacues, lotium seu trudere malis.
Insarcite igitur qui totum phlegmate corpus,
Seu pituita opplet, patiens magnámque tumescit
In molem, apparétque caro ceu spongia mollis,
Principiò venam incîdes, si tempus, & ætas,
Si regio, simul & virtus permiserit ægri.
I'dque viris hemorrhoides si sint suppressæ,
Aut ipsis etiam menses genitricibus, isthinc
Quando mali miseris totius pendet origo,
Alterutrúmque prius flueret, corpúsque leuaret.
Exhauritur enim tali ratione redundans
Copia, languescénsque nimis natura iuuatur.
Interiecto aliquo spacio medicamina debent
Peccantem humorem reliquum purgantia sumi.
Est operæprecium tamen hunc incidere rectè,
Prǽq; parare priùs, quò promptiùs ille sequatur
Attractricem vim sumpti medicaminis intrà.
Nam crassi ac lenti humores, multúmq; tenaces
Pondus habent in se, venísque tenaciùs hærent.
Incisi verò, abstersi, coctíque profectò
Sponte sua nonnunquam abeunt, ventri impete facto.
Ergò decocto hoc patiens vtatur oportet:
Accipe radicum ruscíque, apiíque, acoriíque,
Maratri, asparagi, sambucci, atque ireos, ana
Dragmas sex, vino noctem infundantur in albo,
Camædris, fumiterræ, Veneríque capilli,
Ceruinæ linguæ, absynthi, thamaricis amaræ,

Intybi & agrestis cum fœniculo, ana maniplum,
Stæcados & florum, roris paritérque marini
Pauxillum, binas dragmas & semis, anethi
Seminis, endiuiæ, lactucæ, fœniculíque
Vnam, carthami ijs etiam subiunge medullæ
Dragmas tres semis, duplices verò aggarici albi,
Maceris, ac piperis modicum: decoctio fiat
Claro igni, ad libram & semis, dein sacare mixto
Omnia dulcescant, fiátque syrupus in vsum,
Artis vt est, quo quinque aut sex, septémve diebus,
Vtetur patiens, atque hinc medicamine tali:
Tres diacatholici dragmas, maioris & indi
Tantundem capies, mixtísque his omnibus aptè,
Cum collatura communi potio fiat.
Quamuis quæ forma capiuntur pharmaca sicca,
Plùs collaudentur, plus sit virtutis in illis.
Accipe dragmas tres indi maioris, amaræ
Antidoti quatuor, misce cum sacare dulci,
Et patiens isthæc ieiuno deuoret ore.
Semissem dragmæ dialaccæ sumito, necnon
Antidoti de viperea quæ carne creata est,
Tantundem, quæ miscebis pro manè sequenti.
Hæc interpositis septémve, octóve diebus
Sunt iteranda tibi solito de more decenter,
A' morbo donec patiens reualescat aquoso.
Vitandus tamen est validi medicaminis vsus,
Ne iecoris robur forsan lædatur. oportet
In primis igitur semper leuiora diebus
Sumere. paulatímq; alijs properabimus vti,
Miscentes quæ vim seruant, iecorísque vigorem.
Ex hiera picra confectio qualis habetur

Multis

Multis à medicis, quod & hæc obstructa recludat,
Expurgétque iecur, virésque asseruet eidem.
Inter simplicia hæc medicamina viscera purgant.
Radicis cortex ebuli, brassica marina,
Iridis & radix cum vino pota meraco,
Sacaréque imposito. sed non hæc sola iuuabunt
Hydropas. sed & hæc iecoris quæ robur adaugent,
Pérque vreteres vrinas ducere, pérque
Totum sudorem corpus diffundere possunt.
E' lauri post hæc emplastri sumito baccis
Libram, cum bubula siccata & fece caprilla,
Emplastretur iis venter, caueatur at hepar.
Quæ partes etiam nimis intumuêre, valebunt
Vnguento hoc vngi, quod habet pinguedinis albi
Anseris, & taxi, dragmas sex & suis octo.
Vnguenti Agrippæ tantundem, iunge farinæ
Inde fabæ, fœnogræci, liniq; videtur
Quod satis esse tibi, quibus admiscenda nigellæ,
Bismaluæ, & dauci, debebunt semina trinûm
Pondere dragmarum, vini mox sulphuris adde
Quatuor, Armeniæq; boli, simul iridis albæ,
Ana duas tantum, scissi sed aluminis vnam,
Euphorbíque parum, thuris quibus addito odori,
Irinique olei, camomillæque, quod esse
Sat possit, ceræ'que parum: formetur & vnguen,
Quo tumidas partes, & serò & manè perunges.
Leucophlegmatiæ nos hac ratione medemur.
Quòd si recta aliqua possis ratione, modóque
Assequi, & ablata morbum depellere causa,
Tympaniæ haud dubiè, ascitique medeberis idem.
Sed non omnia succedunt mortalibus ægris.

Hoc

Hoc opus, hic labor est pauci releuantur ab hisce
Oppressi morbis, postquam radicibus altè
Hæsêre in menbris, hepárque liénque fatiscunt.
Σκατόφαγους istos igitur lippósque relinquens,
Accersas medicos doctos, paritérque fideles,
Vis quibus ingenij, & rerum solertia maior.
Hi sunt præcipuè qui possunt esse saluti
Vrbibus, & populis, & rebus sæpe gerundis
Insuperabilibus, multorum viribus vni.
Indoctos homines moneo, iubeóque valere.
Qui non arte aliqua morbis obsistere nôrunt,
Verùm vt sors tulit, huic prosunt, illi acriter obsunt.
Sed valeant, morbos potiùs causásque sequamur.
Fit colicus dolor aut à quodam humore tenaci
Et crasso, ventri infarcto, aut à flatibus intus
Collectis, quibus exitus est è corpore nullus.
Fit quoque quando coli menbrana incensa tumescit
Pressa graui, solitóque magis distenditur, atque in-
Flammatur, dirum gignens in ventre dolorem.
Hoc humore itidem vitium, dependet ab acri
Erodente intus partes, grauitérque premente.
Pro varia causa, varia ratione mederi
Conueniet, quæ sit morbi contraria causæ.
Si sit causa mali crassúsque ac viscidus humor,
Extenuans victus ratio, includens quadrabit.
Qualem sæpe tibi dixi. in primísque necesse est
Affectæ partis rigidum placare dolorem,
Et clystere atras fœces subducere molli,
Bismaluæ, fœnogræcíque ex semine, & horum
Floribus, atque alijs multis fomenta parare.
Qualis & anthemis est, & linum, cum meliloto;

Seu

Seu tu ſeminibus, ſeu mauis floribus uti,
Et conflare tibi fomenta, enemata, ſaccos,
Atque olea, & ventris totius inungere partes,
Fœcibus eductis, molli clyſtere recepto,
Anthemidini olei, paritérque rubentis anethi
Libræ ſemiſſem capies, de quóque ſeorſim,
Et rubri modicum vini, quibus omnibus aptè
Permixtis fiat clyſter, lenire dolorem
Qui valeat, placidúmque oculis inducere ſomnum.
Si medicaminibus dolor hic non ceſſerit atrox,
Balnea conuenient in quæ deſcenderit æger,
Ex læui conflata oleo, cum poſſit haberi.
Præterea inceſſus poſſis, meritóque parare,
Ex fœnogræco, biſmaluáq;, & meliloto,
Et camomilla, læui cum ſemine lini.
His ita perfectis, valdè conduxerit ægro
Vinum abſinthites ſi quaque id luce propines,
Si des ſextantem, quadrantem, ſíque trientem
Vt cuiuſque ætas, natura, malúmque requirent
Illius ſiquidem vel erit gratiſſimus vſus.
Denique caſtoreum cum mulſa pondere dragmæ
Vnius ſumptum: patientibus attulit ingens
Præſidium, morbum ſiquidem plerunque diremit.
Si dolor illorum minimè diſceſſerit vſu,
E' triplici pipere antidotum præſcripſeris aptè,
Et mytridatios hunc, ſimul & theriaca iuuabunt.
Si verò perſtet vehemens, atque anxius angor,
Mollibus vteris clyſteribus, accipiéſque
Quæ citra morbum poſſunt lenire dolorem.
Quale eſt philonium, ſolius pondere dragmæ
Conceſſum, vel paulò plus, pro ætate, minúſve.

Déque

Déque cinoglosso medicamine sphærula confert.
Ante cibum ex vna dragma confingito septem.
Nam quæ marcorem inducunt, vitare memento.
Hæc paulisper enim sedant, placántque dolentes,
Sed lethale malum fuerunt, vel gignere longum.
Istius quòd si flatus sunt causa doloris
Hærentes stomacho, & ventri, tum discutiendi
Clysma potens è re fuerit patientis, eúmq;
Leuiet ablato magna pro parte vapore.
Interea è baccis lauri, paritérque cumimo
Composito vtendum, flatus quòd soluere possit.
In quem conuenient vsum, marsuppia, fotus,
Atque vnguenta, quibus data discussoria vis est.
His etenim abdomen veniet, ventérque fouendus.
Incantamenti verò (testante Galeno)
Quid simile efficiet defixa cucurbita ventri,
Multa cum flamma. siquidem plerique repentè,
Nondum etiam vitro curantur ventre reuulsô.
Quòd si fortassis calon inflammetur, ob ídque
Vexetur patiens grauitérque prematur, acuto
In cubito vena est ferro pungenda decenter,
Ast vrina tamen si fortè excernitur ægrè
Malleoli extantem possis incidere venam.
Lenibus interea clysteribus abluere aluum
Expediet, nec commoda res erit acribus vti.
Quandoquidem istorum dolor incrudescit ab vsu,
Maiorémque ciet defluxum materiei.
Ex re lenia sed fuerint cataplasmata semper,
Balneáque, istiúsque modi complura potenter
Quæ prodesse queunt, causámque afferre doloris.
Sit ratio victus tenuis, de more aliorum

Qui

Qui febres patiuntur, dum inflammatio cesset.
Nimirum hîc veniet ratio mutanda ciborum.
Si verò humorum veniat ratione malorum,
Nempe erodentum, per sedem infundere mollem
Clysterem ex vsu fuerit patientis, vt acrem
Humorem expurget, nimiúmque erodere natum,
Illiáque assuetum crebro tentare dolore.
Dulcis aquæ huic etiam tepidissima balnea prosunt,
Quæ lenire queunt, possúntque inducere somnum.
Humidior victus ratio sit, frigidiórque.
Quòd si se nunquam fortasse remiserit angor,
Sed magis, atque magis multò sæuire videtur,
Tunc ad Phylonij (quod iam tibi diximus) vsum
Confugies, dragmámque dabis si postulet id res.
Déque cynoglossa globulum concedere possis.
Mirificè siquidem possunt sedare dolores.
Sunt nonnulla quibus cœlo est infusa facultas,
In colico hoc misero multùm miranda dolore,
Album quale lupi stercus censetur vbique,
Ex albo & tenui vino si fortè bibatur,
Collapsum terram quod non tamen attigit vnquam,
Ast in fruticibus, vel acutis vepribus hæsit.
Quin etiam nobis, magno testante Galeno,
Vtile erit, si sub costis fortasse ligetur.
Quid multis? etiam id viridis diuinitus ipsum
Mentha facit, decocta tamen priùs, atque subinde
Per treis pota dies, morbum diuellit & aufert.
Ilia morbi aliud quoddam genus acriter vrget,
Peiorem inducens etiam, inculcánsque dolorem,
Εἴλεος à Græcis vulgari nomine dictum.
Fit verò à crassis, lentísque humoribus, atque ob

Inflictum vulnus valido violentius ictu.
Hoc etiam frigus creat, & gelidissima lympha
Potio, duræ etiam fæces in ventre retentæ:
Exoritur pariter forti, magnóque calore,
Quem mordax, acrísque humor commouit in imo
Ventre manens, quo fit dolor incrudescat abundè.
Fit quoque virosi propter medicaminis haustum.
Sæpe malum hoc parui pueri patiuntur, at ipsi
Naturalis ope humoris, succíque benigni
Euadunt, senibus verò fit passio raró,
Attamen hac morbi specie quicunque laborant,
Aut raró aut nunquam videas hoc soluere sese.
Signa hæc sunt, ructus stomacho mittuntur inanes,
Ventriculúsque madore scatet, crebróque rugitu
Intus inhorrescit totus, sursúmque mouetur,
Fœdásque eructat cæco de gurgite fæces.
A' crudis igitur variísque humoribus ortus
Si fuerit morbus, dapibus, multóque Lyæo,
Decocto raphani, coniecto semine rappi, &
Atriplicis sumpto, expediet vomitu eijcere illam
Stagnantem illuuiem crudorum in ventre ciborum.
Quòd si nulla cibi videatur copia crudi,
Quæ stomachum offendat, nocuos tentabimus omni
Conatu flatus, infráque retrudere fæces,
Per glandes, & clysteres, marsuppia, fotus.
Incipies ergò à molli clystere, deinde
Inijcies alium, si nil profeceris illo.
Ventrem fomentis post hæc, oleísque licebit
Mollire, & totum interiùs placare dolorem.
Conuenienter item scapulis & clunibus ipsis
Apponi poterit, figíque cucurbita primùm.

Dein

Dein etiam & ventri. quòd si fortè ima dehiscunt,
Infráque erumpunt flatus, diaphænicon ægro
Profuerit sumptum geminatæ pondere dragmæ,
Aut grauiore etiam, si vis, morbúsque requirit,
Si regio, si temperies, si tempus, & ætas,
Humorum quod relliquias depellere possit.
At si viroso quisquam medicamine tetrum
Affectum imprudens incurrit in ileon, ille,
Ille tepentis aquæ cyathos tres ingerat ore,
E'que vomat, calidum inde oleum bibat, eijciátque
Per vomitum. quod si id renuat, pinguissima iura
Accipiat, molli multùm saturata butyro,
Euchimósque cibos sumat, succíque benigni.
Post interiectis aliquot, de more, diebus,
E'vino antidotus detur resoluta meraco,
Quã bonus Andromachus fecit, quámq; extulit idem
Laudibus, auxilióque fuit compluribus olim.
Quòd si persistat fortasse obstructio, lacte
Scisso aluus veniet, certè cum scammonio ipso,
Sed pauco, aut aloë, aut alio medicamine sensim
Expurganda tibi. nam sic plerique iuuantur.
Si verò fuerit morbi inflammatio causa,
Vena secanda tibi cubiti est, sanguísque trahendus.
Dein læsæ veniet figenda cucurbita parti,
Carne priùs circumscissa, de more. subinde
E' fœnogræci decocto, & semine lini,
Althææ, & maluæ, clysteres rite parare
Conueniet, ventrísque malas subducere fæces.
Præterea quæcunque valent lenire dolorem,
Atque auferre malum ventri sunt rite locanda.
Proderit in summa ratio tenuissima victus.

Intestinorum verò ſi nomine lapſus
Accidat in ſcrotum, quid tum? conaberis illa
Ventre reclinato de more recondere, dúmque
Hæc confirmentur, ſtrictè vincire. frequenter
Talibus ileos his cauſis ſuccedere ſueuit.
Si verò in quoquam minimè concoctio rectè
Procedat, propter partes ſeruire creatas
Illi à natura infirmas, miniméque valentes,
Poſſe pyarhæam fieri plerique putârunt,
Alui profluuium immodicum, citra ipſius omnem
Feruorem, quæ nunc vulgò inflammatio fertur.
Phlegmone ea à Græcis communi voce vòcatur.
Nonnulli hanc etiam medici dixêre φλόγωσιν.
Hácce dyarhæa premitur quicunque ſit expers,
Dum modò vera ſit hæc, nec cui ſit iuncta malorum.
Hanc etiam congeſta ferunt alimenta creare,
Quæ ſunt craſſa nimis, ſuccóque potenter aquoſo
Participant. nam putreſcunt ea ſæpius, ipſo
Succi præterea putres in ventre retenti,
Infartíque illic, quibus eſt mordere poteſtas,
Affectum hunc gignunt, & qui de vertice ſummo
Procumbunt ſtomachum in vacuum, ventrémque fluores.
Additur his etiam virtus infirma retentrix.
Quas cauſas certis poteris dignoſcere ſignis:
Vt ſi de capite in ventrem pituita feratur,
Humiditate caput, cerebrúmque madeſcet inani,
Spumoſæque fluent fæces, albæque per aluum.
Si iecur infirmum factum ſit cauſa, liénve,
Ventriculúſve huius fluxus, remouere neceſſe eſt
Illam intemperiem fluor vnde creatur inanis.
Sin autem ob cauſas alias videatur obortus,

Et

Et natura per hunc quæ sunt sibi noxia, tentat
Pellere, nec vires patientis deyciuntur,
Sed facilè hunc tolerent, laxo sphinctere, fluorem:
Expectare decet, donec natura quod optat,
Implerit, curámq; operámq; impenderit omnem.
Ipsius motus etenim sunt sæpe iuuandi.
Quô natura etenim vergit propellere tutum est.
Quippe obluctari, & fæces retinere cruentas,
Maioris morbi causas in corpore gignit.
Quæ cohibentur enim sursum delata, frequenter
Efficiunt capitis diros in parte dolores.
Post vbi sat fluor ille diu durauerit, & iam
Totum macrescit deiecto robore corpus,
Tunc omni studio vigili curáque videndum,
Qua demum ratione ipsum compescere possis.
Flaua igitur fuerit bilis si causa fluoris,
Tinxerit & totam faciem, ventrémque replêrit,
Naturam per ea hanc bilem quæcunque repurgent,
Expellántq;, iuuare omni conabere nixu.
Id verò casiæ poterit præstare medulla,
Quæq; ex Ægypto fructus, Syriáq; feruntur
Ad nos, esse ferunt quorum fastigia quinque.
Humores siquidem educunt clementer amaros,
Qualescunque sient, quacunque in parte morentur.
Quin & ventriculum, simul intestináque firmant,
Sed multò vsta magis, iuxtáque elota. proinde
Si vel aquam illa quidem fuerint experta, vel ignem,
Magnam iacturam faciunt purgantis ea in se
Virtutis, cum sit tenuis substantia eorum
Aridáque. in quibus ergo aliquam defluxio partem
Decumbens, malè habet, viscusve exhulcerat, vsta hæc

Atque elota damus, ducúntque salubriter aluum.
Binûm vel ternûm dragmarum pondere dentur.
Clysteres etiam læues præscribere possis.
Inde recèns mulctum bubulum lac, siue caprillum,
Sumendum, aut pura ad prunas ferueścat in olla,
Donec tertia pars fuerit consumpta calore.
Debebit sed in hanc candentis lamina ferri,
Vel duri imponi silices, spumam abijciendo.
Sed lacte abstineat, si forsan febriat æger.
Lac dare nanque malum correpto febribus. omni
Bile repurgato mordaci corpore, debent
Assumi quæcunque valent cohibere fluorem,
Quæq; valent vires adiungere partibus ægris:
Quale è Sidonijs fit fructibus, è spodióque
Compositum, qualis veterum conserua rosarum est.
Si verò à crasso generatur phlegmate morbus,
Phlegma aliquo educente, nocens, medicamine purga,
Quæ cum præstiteris magna pro parte, caducas
Expediet vires iterum firmare, malúmque,
Et nocuum sensim ac tutò cohibere fluorem.
Si verò fuerit virtus infirma retentrix,
Fiat & inde fluor, vires qui corporis omnes
Deijciat, sanè ex vsu est compescere primùm hunc.
Ex oleis igitur myrthi, malíque Sidonijs,
Atque alijs tibi tu rectè fomenta parabis,
Vini etiam quarta commixta parte potentis.
His aptè tritas poteris coniungere gallas,
Et mali corium, simul & balaustia dicta,
Cateráque, astringens quibus est innata facultas.
Ex quibus vnguenta efficies, emplastráque ventri
Apponenda ægro, dum se fluor ille remittat.

Septem ſume mora, attamen immatura, vel octo
Piſtillo contuſa, oleo myrthi excipiantur,
Et cera adiecta fiat medicamen ad vſus:
Inteſtinorum poterit cohibere fluorem.
Ex alijs vbi ſit defluxio partibus, ipſum
In ſtomachum ventrémque, tibi curatio talis
Ex proprio ipſa loco veniet repetenda fluoris,
Háncque ſuperuacui foret hîc tractaſſe laboris.
Quanquam quæ proſunt poſſint repetita placere.
Profluuij ſpecies alia eſt quæ ſæpe Latinis
Inteſtinorum leuitas, meritóque vocatur.
Illa cibos etenim minimè retinere receptos
Poſſunt. nanque priùs quàm ſint confecta decenter,
Dilabuntur ea forma, qua ſumpſerat æger.
Ex dyſenteria nonnunquam gignitur illam
Præcedente graui ſanè & perſæpe profundis
Inteſtinorum hulceribus, quæ denſa cicatrix
Poſtea ſubſequitur, venáſque obturat, & ora,
Acceptum debet vitium, morbúſve referri.
Hæc per diſtribui congeſta cibaria nanque
Debebant, atque ad dominum tranſmittier hepar.
Hac ratione igitur cruda eijciuntur ad aluum,
Et longum ventris fluxum plerunque ſecuta eſt.
Fit quoque nonnunquam cum vis infirma retentrix
Ventriculi elanguet, ſic nanque cibaria cruda
Perſiſtunt, & ventriculi expelluntur ad ima.
Hydrops nonnunquam facit hanc purgata per aluum.
Signa ſatis per ſe morbi manifeſta videntur.
Quid facto ſit opus, quid nos præſtare neceſſe
In morbo hoc, facile eſt medico cognoſcere cuique.
Nanque retentricem, concoctricémque iuuare

Virtutem, ac firmare cibis, medicaminibúsque
Expedit, hisce quibus dedit id natura, Deúsque.
Conuenient igitur perdix, ficedula, turdus,
Montanarum auium carnes, pulliq; tenelli,
In quorum sit ventre sumach concocta, vel assa.
Si verò fluxum bilis causârit, oriza
Atque alica efficient aliquid memorabile sumpta,
Sint incocta quibus vis est astringere. sunt vt
Mespila, Sidonij fructus. syluestria mala.
Potus erit vinum infirmum, vel semper aquosum.
Si verò nocua id morbi pituita creârit,
Potus erit vinum fuluum paritérque vetustum.
Parcior esse tamen debebit potio, quippe
Omnibus ampla nocet plerunque fluoribus alui.
Si sit ventriculi virtus infirma retentrix
Causa mali, repetes ea quæ nos diximus antè,
Cum de ventriculi vitijs ageremus. oportet
(Vt breuiter dicam nec sim verbosior æquo)
In summa quæ intra astringunt præscribere & extrà,
Et tam ventriculum, quam cætera viscera firmant.
Porrò cicatricem factam quibus esse putamus,
Acrium ijs rerum non absonus vsus habetur,
Quandoquidem reseratur ea ratione cicatrix.
Quin & languentem reuocant, reparántq; calorem,
Concoctríxque aliqua virtus ratione iuuatur.
In summa prosunt etiam (testante Galeno)
Sufficienter habent quæcunque astringere partem,
Abstergúntque parum. quare astringentia semper
Miscebuntur ijs, quibus absterforia vis est.
Omnibus in reliquis causis conducit eodem
Ire modo, quo in fluxu alui, dysenteriáque.

Huius

Huius ſunt ſpecies quatuor nam prima vocatur
In qua interiecto nonnunquam tempore ſanguis
Effluit, aut propter præciſam in corpore partem,
Aut exercitium propter fortaſſe relictum,
Cum priùs & lepores aliquis ſequeretur & apros
Doctus equi fodere egregij calcaribus armos.
At nunc ille quidem potúque cibóque repletur.
Otia diuitijs Arabum non libera mutans,
Præpinguis, nitidus bene curata cute, & ambas
Inflatus latè diſtento pectore buccas,
Qualem vidiſſes Epicuri de grege porcum,
Huic non abſimiles multùm quis dixerit eſſe
Sponſos Penelopes, nebulones, Alcynoóſq;,
Fruges (vt Flaccus ſcripſit) conſumere natos.
In cute curanda qui nocte diéque laborant.
Queis pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cytharæ ceſſatum ducere curas.
Altera fit ſpecies cum ſanguis aquoſus ob hepar
Infirmum emanat, qualis lotura cruentæ
Eſſe queat carnis, ſi nunc mactata fuiſſet.
Tertia fit ſi ab eo qui naturalis habetur,
Splendidior ſanguis, multò quoque nigrior idem
Exeat, ob nigram permixtam ſanguine bilem.
Nulla tamen nobis horum nunc mentio fiet,
Sat fuerit reliquæ nobis prædicere curam,
In qua paulatim, pérque interualla frequenter
Sanguis abit, qui nonnunquam ſyncerus habetur,
Nonnunquam vero grumis cum pure repletur
Sunt aliàs ramenta etiam permixta fluori,
Sanguineis etiam guttis, ſaniéque cruenta
Reſparſa. Interdum ſtercus fæceſque videntur,

Et tetræ & fœdæ ſpectantibus eſſe figuræ:
Inteſtinorum ſanè generatur ob hulcus,
Id quocunque modo fiat, ſeu corporis omni
Ex parte in ventrem teterrimus influat humor
Illius erodens tunicas, mordénſque valenter,
Seu ſit eo innatus, ventrem ac ſimul ilia rodat.
Hunc etiam affectum plerunque cibaria cruda
Acriáque efficiunt, vbi ventri abſtruſa tenentur.
Adde venenati dictis medicaminis hauſtum.
Quicquid ſit, vitium vel partibus hæret in altis,
Vel certè partes ventris deſcendit ad imas,
Quod firma & memori debebit mente reponi.
Hæret vbi morbus nimirum parte ſuprema,
Aſſumenda per os venient medicamina. verùm
Si pars inferior ventris fortaſſe laboret,
Præſidium à molli veniet clyſtere petendum.
Quò verò id rectè valeas deprendere pacto,
Ex ipſo poteris deſumere fonte Galeno,
Qui nihil intactum, nihil obſcurúmque reliquit.
A' quacunque malum cauſa procedat, amicæ
Otia pacis amet, ſimul oblectetur in illa.
Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis,
Immodici contrà eripiunt vtrunque labores.
Sit cibus exiguus, calidi multíque recenter
Vtilis vſus erit lactis, ſi pertulit ignem,
Dummodò non vetat id febris, non impedit vna.
Ex alica & milio pultes & lacte parentur,
Atque etiam è dulci, quæ ſat bene nutrit, oriza.
Lens etiam nuſquam nimiùm diſconuenit. aſſis
Proderit & ventri ſi quiſquam veſcitur ouis:
Carnibus vtendum ſucci ſuauiſque boniq;,

Vt macrum reparent corpus. Laudabitur ergò
Et cappo, & perdix, & turdus, & itys. at inter
Quadrupedes detur lepori mihi gloria prima.
Potus aquæ ex vsu est, cæli quæ è nubibus altis
Descendit, primis fuerit si pota diebus,
Nullius dum sit vitio contacta metalli,
Quæ tibi si desit, de puro quærere fonte
Conueniet, candénsque aliquod ferrum calybémve
Inijcere, à Græcis quale est ϛωμῶνα vocatum.
Quòd si potio aquæ stomacho videatur obesse,
Vino etiam vtendum crasso miniméque vetusto.
In primis verò somni indulgentia confert.
Ergò conquieat, curásque excludat inanes.
Curandi ratio per constringentia rectè
Perficitur, pérque hæc quibus est siccare potestas,
Acrium & humorum possunt obtundere sensum,
Pérque vreteres vrinas ducere possunt.
Astringunt lapati semen, rhus, galla, draconis
Sanguis, symphiti toto cum semine radix,
Et folia, ophris, glans, hypochistis, acacia, cortex
Thuris, verbasci radix, & Lemnia terra,
Radix althææ, hyppuris, pastoria pera,
Mali granati cortex, balaustia, acini
Armeniáque bolus, crambe bis cocta, lapísque
Hæmatites, plantago, portulaca, lentes,
Santala, succinum, tracacanta, & punica mala,
Et mastix, huiúsque modi complura farinæ:
Obtundunt hycinus adeps paritérque süillus,
Gallinæ & cappi, atque anatis, simul anseris albi.
At verò cornu ceruinum, saluia, necnon
Cancrorum testæ, leporísque coagula siccant,

Asparagi

Asparagi radix, apij, ruscique ciebunt
Humorem vesicæ aqueum, renúmque duorum.
Quin & fœniculi id radix & semina possunt.
Hæc est materia ex qua tu medicamina possis
Conficere, & rectè his, quando locus exiget, vti:
Principio morbi venient infusa paranda,
Hulcera quæ possunt sinuosa abstergere, qualis
Lænis erit clyster, qui oleo cum melle rosarum,
Decoctóque hordi, rubeo quoque sacare constat.
Vt primùm ventris sordes absterseris, illa
Præscribi debent, quibus astrictoria vis est.
Quale est quod recipit plantaginis atque rosarum
Rubrarum, hippuris, peræ pastoris, & herbæ
Verbasci, vna eius quæ nodis prædita centum
Apparet, semissem omni de parte manipli:
Gallarum, rhus & quercini corticis ana
Dragmam vnam & semis tantùm, sed dulcis orizæ
Quattuor, ad libram fiat decoctio. succi
His arnoglossæ depurati addito quartum,
Seui caprini dragmas sex, accatiæ'q3,
Armeniæ'que boli ana duas, tripliceésque rosarum,
Myrtillique olei quod sufficit adijciatur,
Et fiat, virtus cui sit strictoria, clysma.
Hæc ni sufficiant, venient cerata decenter
Apponenda foris, quæ ventrem astringere possint.
Quòd si tenesmo quisquam fortasse laboret,
Id morbi pariter certis auferre medelis
Tentandum, causámque mali præscisse. Videtur
Hic fieri affectus nonnunquam frigore magno
Obuersante foris, nonnunquam stercore fœdo
Infarto ventri, multùm validéque coacto.

Interdum

Interdum pituita poteſt id ſalſa creare,
Interdúmque humor mordax & putris & acer,
Cúmque tumore ingens calor & longaonis hulcus
Teneſmum gignunt cuius cum cognita rectè
Cauſa tibi fuerit, facilis te cura ſequetur.
Frigoribus debet ſi fortè accepta referri,
Tota quidem promptè liquet è ſermonibus ægri,
Vel ſaxo inſedit vel brumæ tempore frigus
Pertulit immodicum gelida vel merſus in vnda eſt.
Quales humores peccent, deprenderis aptè
Ex his quæ vacuum per ventrem deiiciuntur.
Nam pure & ſanie ſi ſint fortaſſe referta,
Et ſit quiddam etiam pungentis ſenſus in ano,
Hulcus ineſſe puta. quòd ſi inflammatio ſubſit,
Cum grauitate humor ſuberit, paritérque dolore,
Et febri. Ratio veniet varianda medendi
Pro varia morbi cauſa. nam frigore dum ſit,
Nos ſanè calido ſemper pugnamus in illum,
Calfaciente cibo & potu, calido aëre, fotu
Ex oleis calidis, calido & clyſtere recepto.
Quòd ſi teneſmus collecta à bile creetur,
Mollibus abſtergenda venit clyſteribus aluus.
Frigida conuenient mediocriter omnia, quæq;
Humida ſunt, biliſque valent cohibere furorem.
Si pituita mali cauſa eſt, pituita profectò
Purgari quouis calido clyſtere requiret.
Quòd ſi ſit triſtis cauſa inflammatio morbi,
Infundi ptiſanæ ſuccus debebit, eiq;
Succum arnogloſſæ adiicies, ſi poſtulet vſus.
Interfœmineum myrtillo oleo, roſeóque,
Mellino, lentiſcinóque extrinſecus vnges

Anthemidis

Anthemidis post hæc fœnogræcique fouenda est
Sedes decocto, quippe illis expedit vti.
Quòd si tenesmus dependet ab hulcere, debet
Hulcus detergi primùm, dein perficietur
Totius tandem rectè curatio morbi,
Vnguento ex thure & cerusa, & plumbo aloëq;
Confecto, mixtis ceráque oleóque rosarum,
Hac ratione potes τεινεσμῳ ritè mederi.
At quo curari pacto stranguria possit,
Expediam, causis primùm signísque relatis.
Sunt autem variæ causæ: nunc gignitur acri
Vrina, nunc ob productum diriter hulcus
Vesicæ, nunc aut ob renum aut hepatis amplum
Abscessum, vrinæ nimirum pure remixto.
Acceptum vrinæ referes causámque malúmq;.
Si iuuenili habitu fuerit, si bile redundet
Æger, & innumeris curis se exercuit, & si
Vsus sit calida victus ratione, sitímq;
Pertulerit, geniúmque diu fraudauerit, atq;
Acri vectus equo patiens equitauerit, & si
Solibus assiduis grauibúsque exarserit æstas.
Signa alia ex alibi venient repetenda relatis.
Esto igitur veniat ratione acredinis vna
Ipsius vrinæ vitium, medicamine certo
Peccantem nos humorem purgabimus, atræ
Qualis flos casiæ est, qualísque est senna vocata,
Necnon in roseo therebinthina lota liquore.
Expurgato igitur mordaci humore per aluum,
Vtendum rebus succum obtundentibus acrem.
Vt ptisanæ, v tve alicæ est cremor, portulaca, malua,
Intybus, & lato demissa cucurbita ventre,

Acribus

Acribus abstineat, salsis simul omnibus, & se
Temperet à vino bilémque augentibus æger.
Sit placido leníque animo, moderetur & iram:
Non melior sors pace bona mortalibus vnquam
Obtigit, ipsa nocens nimis est & funebris ira.
Lac calidum prodest, glycirrizǽque vocatæ
Decoctum, atque hordi, paritérque cibaria quorum
Humida vis, acrémque valent obtundere bilem.
Hic verò puluis fuerit prosperrimus ægro,
Qui recipit quatuor frigentia semina pondo
Vnius dragmæ, glycirrizǽque probatæ,
Succi & radicis dragmas tres, atque rosarum
Dragmam vnam, dulcis quod sat sit sacaris adde,
Omnibus & tritis, puluis seruetur in vsum.
Mollibus hîc etiam clysteribus vtitor, ipsam
Qui nimis astrictam subducunt læuiter aluum.
Hinc totam nymphææ oleo, simul atque rosarum
Pubem vnge, & partes renum regionibus aptas.
Quòd si maior adhuc feruor videatur inesse,
Increscátque magis, per colem infundere possis
Lac calidum, paritérque recens, amylíque vocati
Pauxillum adÿcies, liquidíque albuminis oui.
Quin etiam ex albo decocta papauere prosunt,
Et sensum obtundunt, vbi sunt iniecta subinde
In penem, & magna placant pro parte dolores.
At verò Grays δυσϐρία dicta creatur,
Infirmatur vbi vesica & frigoris atri
Ex intemperie expultrix fit languida virtus,
Nonnunquam à crassis lentísque humoribus ori
Illius infartis processit, ita actio sæpe
Læditur, vt minimè lotium propellere possit.

Vescendum


Vescendum dapibus calidis, clarissima Bacchi
Pocula sint. etenim officerent crassissima valde,
Potióque immixtis acheloia læderet vuis.
Ergò tibi hîc fuerit fului vini optimus vsus,
Et quæcunque foras lotium ducúntque, mouéntque,
Semper in hoc similíque malo vsurpanda memento.
Fœniculi velut est radix, ruscíque, apiíque
Graminis, Illyricæ iridis, althææ'que, acoríque,
Pastinacæ, asparagíque, & terræ herinaceus, vnà
Cum cancris, horum carnes siccato, datóque
In potu ægrotis, vnius pondere dragmæ.
Calfaciente oleo interea cum pectine venter
Inferior, perinæúmque, & confinia menbra
Vngantur: quale est oleum quod scorpius, & quod
Lilia constituunt, atque illud nomine donant.
Quid plura? excuties calido medicamine morbum.
Huic non dissimilis multùm ischuria, nomen
Hoc etiam solùm nobis monstrare videtur,
Attamen est longè vitio truculentior illo.
In totum siquidem suppressa vrina tenetur,
Id quod diuersis sueuit contingere causis.
Gignitur, inualidis siquando viribus ipsa
Vesica efficitur, sic vt complectier arctè
Non valeat, quæcunque intus congesta fuêre,
Atque minùs multò illa foras detrudere. crassis
Interdum & lentis hæc ipsa accepta referri
Passio debebit succis, lapidíque meatu
Vesicæ infracto, nihil vt transmittere possit.
Nonnunquam vbi schirro pars ipsa tenetur,
Aut inflammata est tetro, aut quocunque tumore
Obsessa est alio strictum reddente meatum.

Aut

Aut etiam penitus totum stipante, adeo vt trans-
Mittere nil possit: sic sæpe caruncula quædam,
Aut callus facit id, si quando innascitur illic.
Præterea in grumos concretus sanguis in illa
Extitit vrinæ suppressæ causa, malúmque
Pus per vesicam à iecore, aut à renibus ipsis
Excretum, aut alia quauis de parte. subinde
Id morbi lentus crassúsque atque improbus humor
Efficit interdum vesicæ sensus hebescit,
Sicvt nil reddat, minimè virtute minuta
Expultrice tamen. siquidem patientibus istud
Efficitur neruis. id quod contingit ijs, qui
Crebrò versantur complura negotia circum,
Assiduíque foro remanent. tunc nanque retenta
Vrina longo plùs iusto tempore. vas se
Extendit, salsúsque liquor cohibetur in illo.
Contentrix siquidem tunc est oblæsa facultas.
Hac ratione quidem quia plùs extenditur æquo.
Quin etiam circum quò tenditur amplius ipsa
Vesica, hoc tetri fit pressior exitus omnis.
Vesicam infirmam sanè deprendere possis,
Ex intemperie nimio de frigore factam,
Perquirens signa, & causas ratione sagaci.
Ergò malum fuerit si crassi nomine succi
Productum, simili victus ratione prehendes,
Præcedente illud, si prauis, vtpote crassis,
Viscosísque cibis, fueritque frequentiùs vsus
Ægrotat quicunque. dapes nam sæpe videmus
In nostro similes producere corpore succos,
His in præsertim quibus otia nulla supersunt.
Signa alia ex alijs possis ediscere per te.

Rem nobis cursim, ac paucis dixisse satis sit.
Si proprias igitur vires vesica remisit
Ex intemperie, quæ frigore pendet ab vno,
Tute calorificis rectè medicabere succis,
Si verò à crassis, lentísque humoribus ortum
Sit vitium, haud dubiè fomenta calentia debent
Præscribi è calidis, atque incidentibus herbis,
Incessúsque ex his fieri & cataplasmata possunt,
In penémque oleum poterit laudabile fundi.
Quin & balineis liceat laxantibus vti.
Innumeras equidem possem memorare receptas,
Quas ratio, & studium, longus quas repperit vsus,
Sed facilè ex alijs poterit decerpere quisque
Pro arbitrio, atque sibi si audet, conflare recentes,
Effinguntur sed noua nunc non absque periclo:
Tutiùs antiquos medicos imitabere semper.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER DECIMVS.





AFFECTVS *capitis cerebríque, docente camœna,*
Exposui, & morbos subiunxi pectoris. inde
Ventris ad affectus deuenimus inferioris,
Asscriptis horum signis, formáque medendi,
Et quacunque etiam fierent ratione relatum est.

Nanque

Nanque de Alopecia, ſimul & Cephalæa inimica,
Déque melancholia morbo, rapidóque furore,
Lethargo, ínque cubo, tardóque ſcotomate, ſputo
Sanguineo, tuſſi phtiſi, pleuritide ſuprà
Diximus, & morbos ventris ſubiunximus illis:
Singultum, inuiſámque famem, colicúmque dolorem.
Præterea mala ſunt iecoris, paritérque lienis,
Inteſtinorúmq; ſimul mihi dicta Latinis
Verſibus, iſtiúſque modi complura. videtur
Tempus ad externas iam nunc deſcendere partes.
Nam quid ego hic veſicæ omnes, renúmque duorum,
Atque verendorum morbos, varióſque labores
Enumerem, aut tenui coner detexere culmo?
Iret in immenſum labor hic, ni vela trahamus,
Haúdque eſt humani ingenij fari omnia poſſe.
Id nequit ſane quondam facundus Vlyſſes,
Id nequit Neſtor, quanquam dum vita maneret,
Suauius amborum ſermones melle fluebant.
Ecquis (quæſo) virûm complectier omnia vellet?
Pauca quidem retinet, qui vult comprendere cuncta.
Appoſitè docuit canis hoc Æſopicus olim,
Dum carnes ferret, fluménque innaret apertum:
Obijcit huic velut alterius canis vnda figuram,
Multò maiorem prædam portantis in ore,
Ipſum nimirum propter medium, äëre longè
Craſſius, id radios viſus diſpargit & auget
Suſceptos in aqua, velut in ſpeculóque refractos,
Et facit vt ſe res videatur grandior eſſe,
Ignorans ille hæc. nam quid rationis in illo?
Quas fert ore dapes in aquam permiſit abire,
Maiores retinere ratus, quas nempe videbat

Dum nares, caput inclinat simul indidit vndis,
Nil prorsum inueniens quòd fortè famelicus esset,
Præter aquam multam quam pleno expelleret ore.
Ambitione æquo ac iusto plus semper habendi,
Perdimus interdum stolidi quæcunque tenemus.
Ergò breuis quò sim, de coxæ pauca dolore
Nunc est dicendum, de artritide, déque podagra.
Quisquis enim recta his nôrit medicarier arte,
Haud dubiè innumeros alios sanare valebit.
Quando igitur circa coxam, quam nomine Graio
Ἰσχίον *appellant, fuerit dolor asper & ingens,*
Ischias id vitij propriè censebitur esse.
A' pituitoso quodam, crassóque creatur
Humore, in coxæ articulo qui fixus inhæsit.
Post itaque excessus magnos, epulásque sueuit
Assiduas, crudósque cibos succedere crudis,
Nunc superingestos, quantum se viscera possunt
Tendere, nunc confertim illis absque ordine mixtis.
Interdum immodicos, crebros & Cypridos vsus
Subsequitur. nam sunt Veneri sua præmia, sunt vt
Virtutis propriæ merces & munera, quippe
Sæpe illa innumeros morbis immersit acerbis.
Amplius, ischiadem facit intermissio longa
Sæpe exercicij, cui quis se dedere suerat,
Sed nunc ille Paris Veneri, ventríque dicatus,
Libera diuitijs Arabum non otia mutat.
A' natium gibbo morbus procedere sueuit,
Et pube ad genua vsque alijs, compluribus autem
Vsque sub extremum pedis hic extenditur. ergò
In nostras si fortè manus deuenerit æger,
Circa principium morbi tentabimus omnem

Mollibus

Mollibus iniectis clysteribus abluere aluum.
Hinc cubiti vena sanguis mittatur aperta.
Quòd si fortassis dolor inueterauerit, ipso è
Malleolo affecti cruris detractio fiat.
Si piuitosó, crassóque humore refertum
Sit corpus, sanè humorem hunc purgabimus, aut per
Molles clysteres, potus, pilulásve, bolósve,
Aut per ea exuperãs vomitu quæ phlegma repurgant.
Auxiliantur enim Ischiadi, crurúmque dolori
À pastu vomitus facti. À mediocribus autem
Incipies, mihi si credis, nam tutiùs id fit.
In quibus humorum vehemens densatio facta est,
Ægrè quæ possit solui ob medicaminis vsum
Acris, & haud apta quod quis præscripserit hora,
Cum multa est parti figenda cucurbita flamma
Insignis quædam, cute ferri cuspide scissa.
Attulit ægrotis nam magnum sæpe leuamen,
Nec medicaminibus fluxum reprimentibus vnquam
Vtendum. Nam cum insita sit tibi coxa profundo,
Ex venis circùm positis, partíque propinquis,
Pellitur in coxam sanguis, vel defluit vltró.
Ergò paregorici certi medicaminis vsus,
Morbi principio summè conduxerit ægris,
Sed nec frigore sit nimio, nimióve calore
Excedens ea nanque velut quæ frigore pollent,
In coxam pellunt succum, incrassántque receptum:
Sic sanè quæ calfaciunt vehementiùs æquo,
Amplius eliciunt aliunde partibus ipsi
Vicinis coxæ humorem, magnámque dolorum
Materiam, ischiadis causam accersuntque, trahúntque.
Nam sunt annexíque, cathenatíque dolores.

Et ſeſe morbi ſuerunt generare viciſſim.
Continuò errorem maiorem procreat error.
Vt ſi parte aliqua tibi fuerit debile corpus,
Illuc perfacilè humores deponere ſeſe
Conſueſcent, gignéntque infirma in parte dolorem.
Poſtquam purgâris totum medicamine corpus,
Detractúmque tibi fuerit pro robore ſanguen,
Naturáque mali, & leui medicaminis vſus
Præſidio fueris, nos hinc aliò ire neceſſe eſt.
Acris propterea expedit ad medicaminis vſum,
Si tempúſque ætáſque ſinunt, accedere. nam ſi
Quiſquam fortè priùs, corpus quàm abſterſerit omne,
Particulæ patienti aliquod medicamen inungat
Acrius, id rectum quàm vel ſibi poſtulet æquum,
Auius à recta longè ratione recedet.
Ægrè tale malum ſiquidem curabile reddet,
Vtpote quòd tali faciat medicaminis vſu
Denſari cogíque magis, quicunque fuêre
In coxa humores læſa, ſuccíve recepti.
Ergò locum affectum primùm irrorabimus ipſi,
Camomillæ oleo, meliloti, lili, & anethi,
Iridis ac rutæ, atque alijs leuioribus, vt quæ
Et ſenſim, & tutò poſſunt inferre calorem.
Exin conueniet nobis potioribus vti,
Quæ nempè humores poſſint ex partibus imis,
Ex alto, ac centro trahere ad partem exteriorem,
Nempe ſuperficiem. nam ſi de parte profunda,
Qualiſcunque ſiet morbus (ſeu phimata ſint, ſeu
Carbo, ſeu pſora, aut ſcabies, ſeu ædemata, cancer
Seu liuens, tetérque nimis) trudatur ad ipſam
Fortè cutim, quocunque modo contingat ad vnum

Sic

Sic fieri, seu sponte sua natura mouetur,
Seu medicaminibus fuerit commota receptis,
Esse salutiferum nemo non dixerit vnquam.
Nanque bonum signum semper dignúmque relatu est.
Hæc verò ex alto pollent virtute trahendi:
Iuniperi, costíque oleum, vulpis, piperúmque,
Vnguentum Agrippæ dictum, simul Arregon, adde
Pulegium, rutam, saninam, saluiam vtramque,
Laurinas frondes, sambuco, ebulóque reuulsas
Radices: accedítque huc anagallis, & omne
Stercus, dictamnum & galbanum, ac bdellion. ex his
Atque alijs etiam multis (quæ dicere longum est)
Cerata, vnguenta, emplastra, & fomenta parabis,
Hæc quoties morbus, regio, tempúsque requirunt.
In decocto igitur madeat mihi spongia mollis
Vnius istorum primùm, aut si postulet vsus
Multorum, partémque super de more locato.
Hinc vti possis ceratísque, vnguinibúsque,
Atque oleis suprà positis parti illa reponens.
Qualia quisque etiam poterit conflare, virorum
Aut ex doctorum bene scripta requirere libris.
Quod si fortè malum illorum non cesserit vsu,
Mollibus vteris rursum clysteribus, exin
Infigenda tibi feruente cucurbita flamma
Aut coxæ, aut natibus veniet, carne altiùs ipsâ
Scalpello incisa, & maiori vulnere facto.
Attrahitur siquidem hac meliùs ratione coactus
Qualiscunque humor fuerit. quod si nec ijs quid
Proficias, matura adeas, repetásque licebit
Pharmaca, quæ ventrem, venas, atque ilia purgent.
Nanque operæprecium fuerit medicamine totum

Exhaurire iterum corpus, vomitúsque mouere
Rebus ijs quæ sunt nobis paulò antè relatæ.
His ita dispositis, aliò nunc expedit ire.
Ergo πίττωσις nobis reuocetur in vsum,
Conferet & sinapi constans cataplasma, oleóq;
Costino, euphorbóque. ac cera, castoreóque.
Quale quidem δρώπαξ à Græcis nomine fertur.
Iberidis verò radix diuellit & aufert
Id penitus vitij, æstiuis effossa diebus,
Et contrita recens, pinguíque excepta vetusto.
Omnibus articulis etenim, coxǽq; medetur,
Si parti læsæ admôris, cataplasmatis instar.
Hanc verò coxæ admotam perferre patique
Tres quatuórve viris horas mulieribus autem
Non infrà binas licet. excitat illa tumores
Quippe ægris cum ardore aliquo, paritérque rubore.
Prouenit herba quidem circa monumenta vetusta,
Inque locis minimè cultis, caule est cubitali, &
Floret nasturti folio, cui semina parua
Sunt adeo forma, vix vt comprendere possis.
Eius olet radix verum nasturtij odorem,
Tundere quam possis ægrè. præstantior vsus
Æstiua fuerit tibi tempestate, recenti
Radice, atque adeo folijs. hac vtitor (vt iam
Præmonui) inde in aquam calidam descende, deinde
Multo oleo paucum vinum miscebis, & vnges
Corpus eo. quòd si morbi vestigia restent,
Rursum interiectis quater hîc tibi quinque diebus,
Præsidio rectè, sodes, vterîs eodem.
Nam plerunque solet morbum extirpare. resistat
Si verò auxilijs vitium, nec cesserit vnquam,

In tribus aut quatuor tibi partibus vstio fiet,
Qualiter hanc fieri Paulus designat apertè.
Nam quisquis medicaminibus non cedit oportet
Expurgare illum ferro & candente fauilla.
Nunc verò superest de artritide, déque podagra
Dicere, & huic decimo iam finem imponere libro.
Non genere inter se toto, sed partibus ipsi,
Siue locis tantùm distant patientibus ambo.
Articulos siquidem infirmos possedit vterq;,
Húcque superuacuus paulatim confluit humor.
In pede si dextro defluxio, siue sinistro
Constiterit, siue hæc afflictet vtrosque, podagra
Dicetur. si verò alios apprenderit artus,
Artritim dices, morbum vel eum articularem.
In genus id morbi sueuere incurrere, crasso
Ventre homines, nimirum Epicuri de grege porci
Fruges, & vina, & fructus consumere nati,
Qui se luxuriæ, ventríque, gulæque dedêre,
Quos iuuat illecebris coopertos viuere, more
Tereos incœsti, vel mollis Sardanapali.
Assidua ebrietas nimirum & cruda ciborum
Copia, & immodici crebríque cupidinis vsus
Id vitij generare queunt, quod pace bonorum
Esse velim dictum, qui duram fortè podagram
Ob causas alias fato incurrêre sinistro.
Nam solet in domibus crebrò residere potentum.
Aëre tranquillo facto, cælóque sereno,
Vt sese oblectaret, spaciatur aranea. nanq;
Fessa opere assiduo telarum tota manebat,
Passibus ambiguis ægrè obnixéque podagra
Incedens se illi sociam facta obuia iunxit.

Iámque propinquabant vrbi, quando vtraque cœpit
Inter se notas audire & reddere voces.
Hæc vtrique fuit cordi sententia, vti de
Hospite discernerent, ad quem diuertere vellent,
Summopere immodicis non anxia aranea curis,
Sponte sua in nitidas se transfert diuitis ædes,
Appendítque suas merces & retia. verùm
Hîc quò quò versum miseram se verteret, eius
Omnem texturam telásque auerrere curant
Ancillæ. has siquidem ter iam obiurgauerat hospes.
Quid faciat, quò se vertat tristissima textrix,
In tam multarum luxu sola indiga rerum?
Tarda podagra genu & nodosa prodiga planta,
Orba tamen nummis, inopis diuertit in ædes
Cuiusdam, vixque est stabulo fœnóque recepta.
Nam quæ pauperibus fuit vnquam gratia, quæve
Esse potest vacuis auro, morbóque grauatis?
Pauper vbique iacet, tectóque expellitur omni.
Insomnem ergò gemens duxit præ frigore noctem,
Præque dolore graui, cuperétque occumbere morti.
Ecquis enim tantos posset tolerare dolores?
Imponit finem mors vna laboribus omnem.
Iámque rubescebat croceis inuecta quadrigis,
Tythoni rutulum linquens aurora cubile,
Obuia cum tristi fit aranea mœsta podagræ,
Quam prior alloquitur referens incommoda mille,
Quæ pressa fuit tota mœstissima nocte
Prostratas ob opes, & ob omnia retia fracta,
Quæ secum patriis incauta abduxerat oris,
Hospitis egregias tabulas, pictósque tapetes
Exprobat, & nitidos lectos, clarásque fenestras,

Munditiem & scopis non deficientibus vnquam.
At contrà queritur de paupertate podagra,
Et duro nimiùm thalamo, de frigore acerbo,
Déque cibo & potu, stabulísque carentibus igni.
Sors sua cuique minùs grata est, sed tristis & aspra.
Hæc firma interea & rata sit sententia, vt altas
Vsque podagra domos, atque atria magna frequentet,
Sola casas inopum proponat aranea adire.
Ex illo cœpêre die pauperrima tecta
Hæc habitare, & ibi tenues componere telas,
Ast illa in domibus satrapum remanere superbis.
Quò mihi fortunæ si non conceditur vti?
Ad quid diuitiæ, si non conceditur vsus?
Si ventri bene, si lateri est, pedibúsque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.
Pauper enim non est cui rerum suppetit vsus.
Et sunt præterea quædam (mihi credito) causæ,
Vnde podagra potest, simul artritísque venire.
Nanque solent, qui sese homines violentiùs æquo
Exercéntque statim largè post tempora cœnæ,
Motibus & corpus varijs, animúmque fatigant,
Omnes in genus id morbi incurrêre frequenter,
Vt qui consuêrunt equitare frequentiùs, atque
Neruosum crebra genus exercere palestra.
Insuper & præter solitum suppressio facta
Humorum aut fæcum, quæ vis innata propultrix
Natura, vt nocuos è corpore pellere suêrat,
Causa mali esse potest, velut intermissio rerum,
Quas iam inde à multis aliquis consueuerat annis.
Immutatur enim quidque assuetudine longa.
Nam consuetudo natura est altera nobis.

Quam

Quam licèt expellas furca, tamen vsque recurret,
Prauáque perrumpet furtim vestigia morbi.
Interdum colicus dolor id produxit ineptè
Curatus, velut id doctus testatur abunde
Hyppocrates, longè ante omnes clarissimus vnus,
Cuidam (inquit) simul atque fuit morbo articulari
Correptus, colon atroci languore carebat,
Posteaquam verò morbo sanatus ab illo est,
Maiorem in læsa percepit parte calorem.
Quid plura? vltrices curæ, furor, ira, animiq;
Quotquot sunt tristes motus, suspiria, mœror,
Et quæcunque homines turbant, & diriter angunt,
Hoc modo non vitium generant, sed & omnia possunt
Humano prauos in corpore gignere succos.
Serpit id a primis aliquando parentibus ipsos
In dulces natos, horum rursúmque nepotes:
Fructibus vt terrenis venit ab radicibus humor,
Et rami sese tenera de stirpe propagant.
Qualiscunque autem fuerit qui insederit humor
Iuncturis, vel sanguineus, vel bile refartus
Aut flaua aut nigra, vel sit pituita necesse est,
Humores vel eos commixtos esse fateri.
Causas externas disces ex tristibus ægris.
Humorum verò certis discrimina signis
Deprendes. nam sanguineus si exuberet humor,
Oppletum corpus videas, venásque tumentes,
Turgentémque locum affectum, nimiúmque rubentem.
Qui sic læduntur, neque calfacientia multum
Præsidia hic perferre queunt, neque frigida valde.
Semper enim morbi causâ præsente premuntur.
Sanguinis his etenim fluxus æqualiter, atq;
Continuò

Continuò eueniunt. fului eſt vrina coloris,
Sentitúrque celer ſubmiſſo pollice pulſus.
Plena libidinibus variiſque affectibus ætas
Hoc ſolet in vitium prorumpere ſæpe iuuentus,
Omnibus apta malis, quiduis perferre patiq;
Prona ſatis, brumæque gelu, æſtatiſque calores.
Porrò ſi flauæ fuerit defluxio bilis,
Quæ bilem oſtendunt communia ſigna ſequentur:
Flaua cutis, flauæque genæ, flauique capilli,
Aſpra ſitis, flauæ vrinæ, pulsúſque frequentes
Et magni, ſomnus rarus, curæ, ira furórq;
In ſumma, victus, choleram qui gignit & auget,
Sæpe ſequi morbum, præcedere ſæpe ſueuit.
Idque æſtate magis, cum feruidus ingruit æſtus,
Et terga aſpexit virgo furibunda leonis.
Si verò pituita mali ſit cauſa, tumor fit
Sublaxus partis læſæ, niueique coloris,
Impreſſiſque cauus digitis plerunque remanſit.
Humiditate homines pleni & longæua ſenectus
Sæpe malo tentantur eo, ſed tempore brumæ
Præſertim, quando & pluuiæ dominantur & imbres.
A nigra raro videas procedere bile,
Quod dum ſit, magis inclinans id ſuſcitat ætas,
Siccáque temperies ac frigida, tempus & anni
Siccius, & grato oppoſitum perſæpe calori.
Additur his victus bilem qui procreat atram.
Quando ita ob nimij defluxum ſanguinis ortum eſt,
Educi vena ſanguis debebit aperta,
Eregione loci affecti, partiſque dolentis,
Quandoquidem ſi tum fueris reprimentibus vſus,
Sanguine non tracto, vitij damnandus iniqui,

Ex

Ex ignobilibus partes ad nobiliores
Haud dubiè ſuccum detrudes ſponte fluentem.
Eſt in ſanguineis detractio ſanguinis apta
Fluxibus, hac ſiquidem patiens ratione leuatur.
Interdúmque malum de corpore pellitur omne,
Sed tum præcipuè eſt ſanguis mittendus, vbi quem
Inuaſit primùm morbus. qui nanque frequenter
Hoc conflictati morbo iacuêre gementes.
Plus noxæ ſentire ſolent è ſanguine miſſo,
Quàm auxilij, ſi præſertim iam viribus hi ſint
Infirmis, cœpítque ſemel frigeſcere corpus.
Aſt vbi detractum infirmi pro robore ſanguen,
Tempus erit parti medicamina iungere læſæ
Congrua, quæ neque calfaciant vehementiùs æquo,
(Ad menbrum traherent ſiquidem plus materiei
Affectum) neque valde etiam ſint frigida. quippe
Humores cogunt ea, condensántque proinde
Irrorâre oleo partem de flore roſarum
Purpureo mixto veteri conducit aceto.
I'dque magis morbi ſi cauſa profundiùs hæſit.
Attenuante ſua ſiquidem penetrabit acetum
Virtute internos cutis, externóſque meatus,
Prǽque parabit iter vis illa roſaceo. at ipſa in
Fortè ſuperficie ſi feruidus extitit angor,
Per vini atque olei multùm profeceris vſum.
At nulli dubium eſſe reor, quin tempore brumæ
Conueniat calida apponi, ſed plena teporis,
Solibus inflammatur vbi feruentibus æſtas.
Hinc medicaminibus reliquis conduxerit vti,
Quæ minimè fluxum moueant, ſedéntque dolorem,
Quale cataplaſma eſt fœnogræcíque, fabǽq;,

Atque

Atque hordi constans alba, tenuíque farina.
Talia sed sanè medicamina semper oportet
Prædita sint miti quodam suauíque calore.
Hæc venient igitur crebrò renouanda, fouenda,
Atque foris molli lana linóque tegenda:
Accipe caprini dragmas bis quinque liquoris
E mammis nouiter tracti, bonósque vitellos
Ouorum, scrupulíque croci semissem, oleíq;
Iunge rosarum sex dragmas, panísque medullæ
Quod satis est, misce, partíque appone dolenti,
Hoc sedabis enim quemcunque in parte dolorem.
Sit victus ratio extenuans, nutrire vetamur
Quippe illos, nimio cùm sanguine corpus abundet.
Montanarum igitur volucrum laudabitur vsus,
Sed parcus, reliquas fugiant viténtque necesse est.
Ast vbi ob influxum bilis tentabitur æger,
Tum communis erit scopus, vt purgetur amarus
Hic succus, partem qui sic tentátque premítq;,
Siue id per ventrem sumpto medicamine fiat,
Siue id per vomitum. nam dum modò talia purges,
Qualia purgari par est, bene feceris ægro.
Hinc morbi venient crescentis ad vsque vigorem
Apponenda loco, quibus astrictoria virtus
Frigidáque est, vt sunt lentes, pastoria pera,
Vtraque plantago, lapathum, paritérque solanum,
Et stirpes aliæ, quæ bilem obtundere possint.
Hoc aliquando etiam in casu miscere solemus
Nos pauxillum opij, paritérque papaueris albi,
Porcinæque fabæ dictæ, modicúmve cicutæ.
Obtundunt siquidem ardorem, sensúmque doloris.
Ergò suprà dictum repetes medicamen, eóq;

Vteris, tantillum opij atque papaueris addens.
Verùm permaneat memori sub mente repositum,
Horum post vsum refouendas esse calente
Particulas oleo, aut alio medicamine. vtrumq;
Quale piper, qualis satureïa, quale cuminum
Saluiáque, & costus sinapísque, & talia multa,
Quæ per se gnarus poterit perquirere lector,
Atque vti, quotiescunque id præstare necesse est.
Quod nisi sit factum, nos sæpius efficiemus
Sic imbecillas partes, & fluxibus aptas,
Vt paruis etiam de causis actio menbri
Oblædi possit, grandíque dolore prehendi.
Quin etiam poteris præbere bibenda, morantem
Quæ vrinam pellunt eadem cum sæpius acrem
Ipsa quoque excernant bilem, causámque dolorum.
Nos etiam interea sudores eliciemus
Calfaciente cutim panno, leuitérque mouente.
Frictio nam totum per corpus facta iuuabit.
Postremò quæcunque valent inferre soporem,
Sed moderatum illum, parti miniméque nocentem.
Quòd fluxum sistant ea desiccéntque, profectò
Conuenient. Totum postquam medicamine corpus
Rectè expurgatum fuerit, sit frigida victus
Hinc ratio, sic, vt tamen haud humectet. adauget
Humiditas etenim, fuerit quæ magna, fluores.
Vtantur pomis, quibus astrictoria vis est,
Sed vino abstineant. est nanque hæc vnica ferme
Causa, ob quam lapsam poterunt reparare salutem,
Quam cum vix etiam multis è millibus vnus
Obseruet, nil est miri, si tempore nostro
Sint rari, qui se vitio hoc absoluere possint.

Ergò

Ergò vtantur aqua coctà, fontísque liquore,
Sacare permixto, aut ptisana, si malit ea vti.
At pituita quibus nocui fit causa fluoris,
Hanc purgare quoque ex vsu est: iccirco per imum
Nunc ventrem, nunc per vomitum id conabere semper:
Humorem verò lentum, crassúmque decebit
Attenuare priùs, pariterque incidere, quæ si
Non bene succedant nobis, tolerare iubebis
Esuriémque sitimque ægros. sic nanque leuantur
Humidiora æquo fuerint quæ corpora, totum
Quippe habitum fames exsiccat, nec vtique molestè
Ista ferent, siquidem quibus est pituita redundans,
Citra aliquam tolerant noxam ieiunia ventris.
Contrà qui toto sunt corpore bile repleti,
Et quibus est iecoris regio succensa calore,
Absque graui noxa haud genium fraudare valebunt.
Mollibus interdum clysteribus abluere aluum
Expediet, totámque cutim, corpúsque fricare,
Interdum vrinam quoque prolectare iuuabit.
His ita perfectis, etiam mulcere dolorem
Conueniet medicaminibus, queis tanta facultas,
Quæque etiam excutiunt modicè, pariterque resiccant.
De quibus antè satis dictum. sed protinus illis
In primo insultu morbi nonnulla licebit
Admiscere, quibus siet astrictoria virtus.
Hinc medicamentis tibi discutientibus vti
Profuerit solis, quale est quod suscipit vnam
Althææ partem florum, partémque farinæ
Huius, quam κρίτηρ Græci dixêre, dolenti
Appone hæc parti, morbum sedaueris omnem.
Anthemidini olei modicum suffundere possis.


Bismaluæ id pariter radix præstare valebit
Cocta in aqua mulsa, & trita & parti addita. victum
Exin præscribes, qualem conieceris aptum,
Id quod perfacile est cuiuis ex antè relatis
Colligere, est aliquid toties repetisse molestum.
Qui porrò nigra defluxu à bile laborant
In partes, vbicunque hæ sint, vel vena secanda est,
Vel certo veniet totum medicamine corpus
Purgandum, bilem possit quod ducere nigram.
Vena secanda quidem, quoties cum sanguine nigra
Permixta est bilis. quippe id conduxerit ægris.
Ast vbi conspicuè sanguen mutatur in atrum,
Expediet medicaminibus purgantibus vti.
Si verò interea simul hæc videantur inesse,
Biléque sanguineus succus sit plenus vtraque,
Pharmacon haud aliquod solum suffecerit vnum
Exhibuisse, sed incides priùs ipse tumentem
In cubito venam, è menbri regione dolentis,
Expurgare dehinc totum conabere ventrem.
Verùm in principio morbi reprimentibus est par,
Atque adeò sensum ipsum calfacientibus vti.
Posteaquam nocuum humorem purgaueris, illis
Vtere, quæ leui & suaui sunt plena calore,
Quæque etiam attenuant humores, discutiúntque.
At verò quoniam tophi, duríque tumores
Nonnunquam eueniunt, modò causa humoris iniqui,
Nimirum lenti, & crassi, & terrestris, in ipsis
Infarti articulis, modò propter discutientum,
Atque resiccantum immoderatè ac fortiter vsum,
Illis absque tamen quibus est mollire potestas.
Nos vtemur ijs ideo quæ dicta fuêre

De

De ſplenis ſchirro, duro obtuſóque tumore.
In primis verò prodeſt acerrimus ægris
Caſeus, eſſe ſolet velut antiquiſſimus, aptè
Tritus & impoſitus porci cum carnis obæſi
Decocto, veteriſque malo hæc prodeſſe valebunt.
Et triti rurſum ficus, biſmaluáque cocta, &
Abrotoni folia, & buſtalmi, marrubiíque.
Hiſce quidem pice permixta cum ſulphure vino:
Adiungantur ijs adipes vitulíque, ſuiſque,
Taxi, anatis, gallinæ, capri, atque anſeris omnem
Adde medullam etiam, & quibus emollire poteſtas.
Balnea præterea, cum ſe calor ille remiſit,
Omni conducent (ſi rectè vtâre) podagræ.
Dúmque lauant, mollis madefactáque ſpongia aceto
Et ſale permixtis, partes circum patientes
Conſtituenda venit, ne quodam fortè fluore
Tententur, nec eæ immunes ſubſiſtere poſſint,
Participéſque ſient vitij, ſuccíque fluentis.
Articularis vbi morbus paritérque podagra
Conſtiterint, poterunt ſanè curarier ægré.
Te tamen his vnum fac conſolere elementis,
Non valeas oculis quantùm contendere Lynceus,
Non tamen iccirco contemnas lippus inungi,
Nec quia deſperes inuicti menbra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere podagra.
Eſt quodam tranſire tenus, ſi non licet vltrá.
A' nondum genita ſe quiſque tuebitur aptè,
Ni fallor, ſi de victus ratione ſüeta
Immutet quicquam, quod nempe ſuperfluit, & ſe
Suauibus oblectet dapibus, ſuccíque benigni
Quod nimium eſt fugiens, paruo contentus vbique.

Assueta est siquidem modico natura foueri.
Quin exercitium ante cibum conduxerit ægris.
Dulci oleo mixtus sal, contritúsque podagræ,
Vitari vt possit, semper bene fecerit. isthæc
Omnibus articulis si quis fortè affricet, artus
Ni distemperies magna plùs parte prehendit.
Id manè, & serò, toto quoque tempore vitæ,
Expediet fieri. Quòd si mea dogmata spernis,
Quæ sunt magnorum consensu asserta virorum,
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER VNDECIMVS.





VAE *nunc causa creet febres, & gignat acutas,*
Quæ peracutas, quæque breues, quæ denique longas,
Quósque habeant ortus tetri contagia morbi,
Signáque qualia sint, quibus hæc deprendere possis,
Quæq; via & ratio veniant seruanda medenti,
Expediam, mea si superi modò cœpta secundent,
Méque iuuent. sed summa sequar fastigia rerum.
Antè vocate mihi summáque vocande Camœna,
Humanæ gentis Christe seruator & auctor,
Æthereæ modicum nobis infundito flammæ,
E'que tuo fœlix animis illabere cœlo.

Te sine frustra aliquid tentant mortalia corda,
E'stque nihil sine te rectum, sanctúmque, bonúmque,
Nílque saluiferum, nílque vtile, nílque beatum.
Te sine præstiterit nullam medicina medelam.
Quando per proprias fit vera scientia causas,
Haúdque aliud quicquam doctorum scire virorum est.
Expedit hîc fuerit quæ primùm essentia febris
Quærere, ne veluti cæci impingamus vbiq;.
Hanc nobis igitur definiuisse necesse est.
Primùm itaque expediet genus inuenisse, notásque,
A' reliquis quibus ipsa malis differre videtur,
Sic nobis sese res tota exponet ad vnguem.
Omnibus ergò calor febris censebitur esse
Præter naturam, qui primùm a corde profectus
Per venas, venísque pares vtcunque meatus,
Corporis in partes, quas lædit, funditur omnes.
Actio ni lædatur enim, quantum libet ingens
Sit calor expansus totum per corpus, ob id non
Nomine nos febris talem dignabimur æstum.
Propterea non est quisquam febrire putandus.
At verò quia constituunt tria corpora nostra,
Spiritus, humores partes solidæ, species tres
Simplicium febrium primas hîc constituemus.
Nam calor immodicus si succendatur in ipsis
Spiritibus, gigni dicique diaria sueuit,
Non vento absimilis calido qui includitur vtri.
Nam velut ille intra contentus calfacit vtrem,
Sic quoque plus iusto calfactus spiritus, omnes
Corporis incendit partes, & lædit easdem.
Altera fit febris species, vbi plurimus æstus,
Immodicusve calor succo dominatur in omni,

Humoré∫que vrit, quæ putrida iurè vocatur,
Propterea humorum quòd vis putre∫cit in illa
Per∫imilis calidæ. quippe hæc ceu cal∫acit ollam
In quam infu∫a fuit, ∫ic immodicè cale∫acti
Humores corpus. Reliquum genus efficitur, cum
Partibus in ∫olidis calor inferue∫cit, id vtri
Re∫pondet calido. ∫iquidem velut ille liquorem
Contentum immutat, liquor & ferue∫cit ab illo,
Hectica ∫ic febris (quippe vno hoc nomine fertur)
Corporis alterat & partes, & ∫iccat ea∫dem.
Cuncta loco nobis proprio mon∫tra∫∫e licebit.
Ergò diaria quid febris, quid ephimera, nomen
Ip∫um etiam lippos ∫atis edocui∫∫e videtur.
Ex natura etenim non ampliùs vnam propria
Excedit lucem, ni∫i quis tractârit ineptè hanc.
Nam ∫e∫e febris quoties occa∫io præbet,
Ip∫a dies etiam in plures extenditur, atque
Initium exi∫tit magnorum ∫æpe malorum,
Et fit nonnunquam ∫ynochos non putrida dicta.
Ergò vbicunque calor naturam præter in ip∫is
Spiritibus (veluti paulò nunc diximus antè)
Ebullit, fieri con∫ueuit ἐφήμερα febris,
Ip∫a quidem exi∫tens omnis putredinis expers.
Multimodè verò fieri contingit id ip∫um.
Nam cutis a∫peritas & per∫piratio læ∫a,
Cura vigil, mœror ∫tudium, ebrietá∫que, famé∫que,
Æ∫tus, frigiditas, timor ingens, ira, furórque,
Elatú∫que tumor, referens ex inguine nomen,
Hanc nobis crebrò po∫∫unt inducere febrem.
Curandi modus in primis ratione decenti
Victus perficitur. ∫int ergò cibaria ∫ucci

Cuncta

Cuncta boni, quæ ventriculus non concoquat ægrè.
Tristibus, & cura vigili, studióque grauatis,
Quæ sensim humectant, possúntque inducere somnum
Conuenient. vstis, fera quosque exercuit ira,
Quæ flauam obtundunt moderatè in corpore bilem.
Debilibus, fessis, simul & languore prehensis,
Quæ recreant vires & lassos corporis artus,
Euchimúmque creant sanguen, succique benigni,
Nec possunt nocuas ventri producere feces.
Déque alijs statuemus idem, contraria semper
Sensim inducentes. Vinum laudatur aquosum,
Quod quidem ὀλιγοφόρον Græci dixêre. iuuatur
Venter eo, hinc melior procedit coctio, & inde
Promptiùs vrinæ & citiùs truduntur inanes,
Et meliùs toto prorumpit corpore sudor.
At verò luctu vigili, curáque grauatis,
Lymphati vberior quadrârit copia Bacchi.
Déque fatigatis quantum perferre valebunt.
Iratis minimè tutò conceditur. ast huic
Quem lædit bubon, vini disconuenit vsus,
Inguinis in totum donec subsederit æstus.
Hasce omnes autem febres curare licebit
Balineis, si fessa tamen nos corpora eorum,
Inguina queis fuerint flammato obsessa calore,
Dulci oleo sanè multo, tepidóque perungi
Iussimus, tepidúmque dehinc intrare lauacrum.
Atque hæc sit dixisse satis, cum nulla medentum
Re super hac, aliquem gens nostra ætate requirat,
Quòd promptè tenues vitium vanescat in auras.
Humores verò quoties calor alterat ingens,
(A nobis velut est dictum) fit putrida febris,

Propterea humorum quod vis putrescat in illa.
Dupliciter verò id contingere sæpe sueuit,
Vel putrent illi siquidem intra vasa, vel extrà.
Intrà si vasa, & venas putredo creetur,
Continua efficitur, quòd si contingat id extrà,
Intermittens fit febris, quæ cuncta seorsum.
Ac breuiter, veterum ex scripto, pariterque recentum,
Expediam, faciles dictis si attenderis aures.
Nam paulò id meliùs pauloq; exactiùs vnum,
Si fieri possit, quanuis sit plena laboris,
Difficilisque hæc res, tentabo ostendere paucis.
Humores igitur cum nostro in corpore putrent,
Aut omnes intra vasa est putere necesse,
Aut vnum, si omnes σύνοχος fit putrida, si vnus
Duntaxat putret, συνεχὺς fit febris, eámque
Continuam dicunt. At vel putrescit amara
Bilis, fitque ardens febris cognomine καῦσος,
Vel pituita quidem solum, atque hæc quotidianam
Efficiet, bilis verò si putreat atra,
Continuam ipsa quidem febrim produxerit, at quæ
Quarto quoque die corpúsque animúmque fatiget,
Tardiùs in crasso succenso humore calore.
Ast hi putruerint extra si vascula succi,
Seu sit phlegma nocens, seu bilis, seu flaua vel atra,
Congeneres generare quidem sueuère, tamen quæ
Perpetuæ non sint, hoc secernuntur ab illis,
Interpolatásque ideo plerique vocârunt.
At quibus a synocho synechem secernere signis,
Indiciísve licet? (siquidem re, nominéque ipsæ
Fortassis cuidam modicum differre videntur
Inter se hæ febres) nempe his quod feruor & æstus

In synocho velut æqualis persistat, & ipso ab
Initio finem accessus perduret ad vsq;,
Huius vel saltem parua immutatio fiat,
Vnica quòd sit ei nimirum accessio. Contrà
In syneche eueniunt plures, nec semper eadem
Procedit ratione calor. nam sæpius æstus
Illius elanguet, sensim séque ipse remittit,
Circuitu vt redijt, partémque humoris abegit.
Perficitur synochi curatio sanguine venis
E' cubiti misso. siquidem quicunque laborat
Hac febri. si præsidij genus hocce probati
Omnibus à Græcis medicis, paritérque Latinis
Tempserit, in magno positus discrimine vitæ
Decumbet, nimiumque malo plectetur acuto.
Ægri si virtus igitur permittit & ætas,
Emitti largum sanguen vel ad vsque iubeto
Deliquium, in præsens nisi quid fortasse repugnet
Effatu dignum, nobísque insigniter obsit.
Omnia quandoquidē ante alia est præstantius vnū hoc
Præsidium synochis in febribus omnibus, ætas,
Si regio, si temperies, si postulet vsus,
Síque ægri validæ fuerint in pectore vires.
Quòd si aliqua impediat res id, nec vena secetur,
Auxilijs tentandum alijs, quæ nempe recludunt
Corporis obstructos intus cæcósque meatus,
Congeriémque malæ detergunt materiei,
Febris & ingratum placant sedántque calorem.
Quòd si conspicuis procedit coctio signis,
Quam per & vrinas, per & excrementa frequenter
Deprendes, per & æquales ex ordine pulsus,
Vlla nec in toto fuerit pars corpore princeps,

Oedema affectu quoquam referente prehensa,
Aut schyrro affecta, aut alio quocunque tumore,
Nec sit particula vsque adeo imbecilla, caduca &
Frigida in ægroto, nos vt vereamur in illam
Detrimenti aliquid decumbere posse, videtur
Esse mihi gelidæ descendere tempus ad haustum,
Fontis aquæ bibulus præsertim si fuit æger,
Vti dúmque foret sanus consueuit eadem.
At quantum è gelida possit contingere noxæ,
Expendes. nam si modicum paucúmve sit illud,
Aut etiam planè nullum, quod lædere possit.
Quin etiam gelidam dabimus, quantúmque requiret:
Hac sòla plures salui ratione fuêre.
At συνεχὺς, *quam continuam dixêre Latini,*
Quando fit & succi in venis putredine oborta,
Ex genere vna etiam putrentum constituetur.
Quas omnes certè febres deprendere tute
Hisce quidem indicijs poteris, quòd nempe rigorem
Initio incutiant, vehementi frigore nullo
Prægresso, aut æstu. pulsus quòd denique magni
Sint, & inæquales, carpum tangentibus ægri,
Ingratúsque calor, tactum qui offendere possit,
Crudus & vrinæ aspectus. nam talibus his in
Febribus, haud primis lotijs apparuit vnquam.
Quoddam materiæ coctæ memorabile signum.
Adde quòd has nusquam febres extrinsecus orta
Causa præit, velut interna de parte profectas.
Sunt hæc putrentum vera & communia signa.
Priuatim verò synechem nonnulla sequuntur,
Cuncta sed excellit, quòd corpus nulla relinquat,
Ex omni donec videatur parte sòluta.

Si

Si vires ægri validas cognoueris esse,
Incuntanter erit sanguis mittendus, acuta
Vena axilari percussa cuspide, nullus
Dum modò ventriculum crudus tentauerit humor.
Nam mihi consilium non est tum mittere sanguen,
Materies ne cruda nimis patientibus obsit.
Robur vbi iccirco infirmum imbecilla vel ætas
Obstârit, nos consilium mutare decebit,
Quamprimúmque alio expediet genere auxilij vti.
Nos ergò quoties ratio dictátque iubétq;,
Sanguen naturam iuxta viré sque trahemus,
Temporis ast habita semper ratione locíq;.
Sanguine detracto, vitiosus corporis humor
Expurgandus erit, læui medicamine sumpto.
Quale est quod recipit voraginis, endiuiǽq;
Ana maniplum vnum, florum circi & violarum
Ana pugillum vnum. fiat decoctio, cui adde
Mannæ dragmas sex, casiæ quatuórque medullæ,
Atque istud summo medicamen manè propinet.
Quin per sudores etiam, lotiúmque licebit
Nobis relliquias putris detrudere morbi,
Pérque etiam vomitum, si ita fors ferat, & fluat vltro
Ventris in ostiolum corrupti copia succi.
Naturæ siquidem motus persæpe iuuare
Expedit. at contrà quicquam tentare, mouere &
Moliri præter naturam, sæpius ægris
Obfuit, induxítque graues in corpore noxas.
Materiæ verò nobis sint rite legendæ,
Purgandi quæ munus habent, possúntque subire
Vtiliter, citra quam quod vehementius æquo
Aut siccent, aut calfaciant. nam talia corpus

Lædunt

Lædunt, & febrim ſæpe inclementer acerbant.
Mulſa ergò, oximeli, cremor ptiſanæque, apiiq;
Radices, aptos ægri vertuntur in vſus.
Abſtergunt reſerántque vias, cæcóſque meatus,
Vrináſque mouent, nocuo vel id abſque calore.
Quòd ſi ſicca manens iam non reſpondeat aluus,
Iniecto molli veniet clyſtere mouenda.
His ita perfectis, tepido iam corpus oliuo,
Quódque cutim laxet, tenuéſque reſoluat hiatus,
(Quale eſt anthemidis) ſenſim tutóque perunges.
Nanque repurgato niſi primùm corpore toto,
Id nuſquam tentaſſe decet, nulli expedit vnquam.
Tunc quoque dilluti laudatur potio vini,
Tum quod & id recreet vires, & ſeruet eaſdem,
Tum quod & vrinas atque excrementa decenter
Promoueat. Quin molle etiam tepidúmque lauacrum
Auxilio perſæpe fuit languentibus ægris.
At ſi perstiterit miſeræ vehementia febris,
Nec Baccho, nec balneis, nec denique nobis
Vtendum vnguentis, gelidæ tum potio lymphæ
Contulerit, niſi quid fortè hoc etiam impedit vnum,
Vt ſi pars princeps in corpore phlegmone oborta
Langueat, & venis ſit putridus humor in imis.
Tum vero vtiliter dabitur, cum viuida virtus
Extiterit, fuerit ſimul ardentiſſima febris,
Et non obſcuris apparet coctio ſignis,
Tunc audacter enim gelidam, quantúmque requirent,
Porrigito, ſolo hoc febrem iugulaueris hauſtu.
At ſi quadrato fuerit quicunque laborat
Corpore, tempeſtas ſolis feruoribus apta,
Et calidus ſiccuſque aër, cælumque ſerenum.

Hunc

Hunc minimè offendes, gelido si iuuare lauacro
Iusseris, inque illo modicè recreauerit artus.
Interea stomacho ventríque ac viribus ægri
Consulere, & sensim corpus nutrire licebit.
Sic tractandus erit synechis quem forte prehendit.
Præscripis etenim auxiliis superata recedet,
Æger & in læui compostus pace quiescet.
Ast ea quam suprà nos καυσὸρ diximus vna
Ex genere ipsa etiam putrentum & continuarum
Existit. putrescit enim dum bilis amara
Corporis in venis, hæc fit. Dignoscitur hisce
Indiciis, quòd & ardentem per menbra calorem
Extendat, somnum excutiat, deliria gignat,
Et ventrem erodat bilem per viscera fundens,
Inducátque sitim vehementem, & fortiter asperam.
Febris ad exactam curam totius oportet
Vel prauum excerni succum, vel prorsus eundem
Tanquam acrem extingui. Vomitus, deiectio, sudor
Excernent nocuam toto de corpore bolem,
Extinguet gelidæ sed eandem potio lymphæ.
Frigida sit ratio victus patientis & vda,
Molliter inque loco iaceat, quem ventus inauret
Læuior, immodicum cordis qui temperet æstum,
I'nque omnes venas disparsum à corde calorem.
At qui flammato nulla vnquam in parte tumore
Affliguntur, habent vnum sibi particulare,
Possint balineis quòd & hi mediocribus vti.
Quòd si conspicuis etiam concoctio signis
Procedit, multò magis hæ patientibus ex re
Atque vsu extiterint, febrem quòd sæpe resoluant.
Qui verò succi à salsugine febre laborant,

His aliena quidem fuerint & inepta lauacra,
Vda sed pariter victus ratione fruentur.
Omnibus vdus enim victus conduxerit illis.
Ast intermittens febris quam tertia quæq;
Expectare dies & formidare süeuit,
Ipsa statim cum magno aliquo fortíque rigore
Inuadit, bilémque agitans vehementer amaram,
Compungítque cutim, neruosáque corpora rodit.
Quin etiam exactus monstrat se in pulsibus ordo.
Vritur, hac quicunque dolet, premitúrque, vigore
Sed constante magis, quaquauersúmque calor se
Extendit, partésque mouet patientis in omnes,
Inducítque sitim. Quòd si tractaueris ægrum,
Contactu ille quidem primò calor acris & ingens
Cum veluti quodam fumo, tristíque vapore
Elatus sæpe occurrit, sed vincitur inde
Pòst paulò & sensim resolutus concidit æstus.
A' potu verò, calidi permulta vaporis
Copia spiramenta cutis per rara resudat,
Erumpítque citò largus de corpore sudor.
Euomitur bilis vel amara vel effluit aluo
Sponte sua, & lotium fului vesica coloris
Excernit, febrémque docet de bile creatam.
Bissenas verò postquam compleuerit horas
Accessus, sensim calor elanguescit abítq;,
Donec nota iterum febris per menbra recurset,
Atque ingrata premat partes, & pungat easdem.
Exactam hanc dicunt, sed quæ prolixiùs hæret,
Extensam. Quòd si cum magno acríque calore
Vnaquaque die inuadit, comitantibus illis,
Quæ suprà posui, signis, nos esse feremus

Hanc

Hanc febrem duplicem, gemino quòd comprimat æstu.
Nos exquisitæ ceu flaua à bile profectæ,
Pérque ea quæ humectãt, bilem obtundúntq;, medemur.
Nimirum bilis cum sit vehementer amara
Aridáque, exposcit medicamina frigida, quǽq;
Impensè humectent, nihil hac in corpore nanq;
Aridius, calidúmque magis. Versabitur ergò
Frigidiore vento locum spirante serenum,
Immuníque æger fumo, nocuóque vapore.
Spargatúrque solum gelida, roseóque liquore,
I'nque domus latera & frondes, & amœna virentum
Germina plantarum solito de more ferentur,
Sic corpus circum fusus mutabitur aër,
Córque inspirata læui recreabitur aura.
Frigida victus erit ratio, simul humida, quo fit
Vtile olus lactuca fiet, lapathúmque, atripléxq;,
I'nque tybi, & longo distensa cucurbita collo.
Interea ptisanæ cremórque, hordíque, alicǽq;,
Quíque etiam in nitida pisces versantur arena
Conuenient, tenera & constant quæ animalia carne:
Turdus, itys, turtur, cappo, ficedula, perdix.
Sed vino interea, quid enim feruentius illo est?
Interdicendum, donec concoctio morbi
Procedat, séque in lotys & pulsibus vnà
Ostendat, feruórque mali inclinetur, eátq;.
Nam tunc lymphati laudatur potio vini,
Sudorem quòd promoueat, lotiúmque propellat.
Ad somnum quantum spectat, præscisse necesse est
In morbi insultu semper dormire cauendum,
Per somnum siquidem reuocatus spiritus intro,
Externas priuat contracto sanguine partes,

Maioris

Maioris causam præbens in corde caloris,
Præcipua vnde quidem febris dependet origo.
Nec verò tantùm victus ratione licebit,
Verùm etiam medicamentis obsistere morbo:
Quales sunt ex endiuia, violísque syrupi.
Si verò fuerit corpus purgare necesse,
Buccella è casiæ veniet præbenda medulla,
Bilis vt & sensim, & tutò vacuetur amara.
Quæ si in ventriculi ostiolum repat, eÿcienda est
Per vomitum, sumpta tepida, ptisanéve liquore,
Atriplice iniecto modico cum semine rappi.
Si verò in partes irrepserit inferiores,
Aluus erit sensim leui clystere mouenda,
Naturæ siquidem motus imitarier æquum est.
Quando iuuat, læditque nihil, nec menbra resoluit.
Sæpe per vrinas etiam diuertere oportet,
Pérque cutis raros etiam, exilésque meatus,
Largus vt emanet toto de corpore sudor,
Propterea nobis venient decocta paranda,
In quibus aut apÿ radix, aut forsan anethi,
Asparagi, & rusci maduerunt, fœniculíq;,
Aut ex his vnum tantùm, si copia desit.
Quòd si concoctrix virtus superasse videtur
Materiam morbi, certis séque explicet vltro
Indiciÿs, tutò absynthi porrexeris ægro
Decoctum, seu in mellis aqua maceraueris illud,
Siue scobem immersum, pullíque in iure repostum
Præbueris. nam ventriculo, si bile prematur,
Auxilio est, noxámque aufert radicitus omnem.
Quippe quòd & gratum stomacho est, & firmat eundẽ.
Interea vsus erit mollis tepidíque lauacri

Vtilis

Vtilis, illo iterum si sese immergerit æger,
Arantémque cutim molli humectarit in vnda,
At calido, multóque priùs perfusus oliuo.
Nil verò mirum, cum nostro hoc tempore ventri
Se dedant homines, sine magno sæpe rigore,
Aut sanè perquam exiguo, contingere febres
Sint solitæ, plerisque nothæ, spuriæve vocatæ,
Permixta bili pituitæ copia amaræ.
His itaque est nobis alia ratione medendum:
Non erit initio vtilitas statuenda lauacris.
Non laudantur enim, sed vbi concoctio cœpit
Certis apparere notis, conceditur vti.
In totum ratio victus nec frigida sit, nec
Humida, sed talis crassum quæ incidere succum
Possit. nam ptisanæ cremor conduxerit illis,
Hyssopo, aut pipere adiecto, quando exigit vsus.
In potu mulsa, in qua sit piper elixatum,
Permultísque aliys, quibus est innata potestas
Quæ tenuet, lotiúmq; foras protrudere possit,
Sæpiùs vtendum, vacuato corpore, demptis
Attamen his, quæ calfaciunt siccántq; valenter,
Quando conceptum augerent sub corde calorem.
Ast vbi tres, quatuórve dies octóve peregit
Circuitu repetens morbus, si iugiter ægri
Absynthi vtantur decocto, conferet. omnem
Oximel epotum febrim quoque sæpe diremit.
Omnia præcellit medicamen læuiter aluum
Subducens, modò fex illo vitiata trahatur.
Proritanda quidem veniet clysteribus aluus,
Huc si materiam morbi natura reponat.
Sin verò in stomachum corruptus repserit humor,

Penna ori inserta, aut digito, vomitu eijcientur.
Ex vsu quod si detractio sanguinis esse
Creditur, hanc fuerit non prætermittere tutum.
Detracto siquidem vitioso sanguine, grandi
Pondere ceu dempto, nimiùm natura leuatur,
Relliquiásque mali aggreditur superátque subinde.
Quod tamen haud facies, nisi sis ratione coactus,
Et regio, vires, tempúsque, ætásque requirunt.
Non mittendus enim temerè de corpore sanguis,
Vt faciunt isti indocta de plebe frequenter
Quos video, vt viuant, citróque vltróque meare,
Per fora, per plateas per compita: denique in omni
Quos tu quadriuio, plerunque offendere possis.
Qui volet his igitur rectè, quæ diximus vti,
Expedit huic medica quòd sit detritus in arte,
Legerit & libros magnorum sæpe virorum.
At quartana velut corrupto humore profecta,
Nempe melancholico, inuadit cum frigore multo,
Nec feruore premit ceu flaua à bile profectæ
Efficiunt febres, vomitus nec bilis amaræ
Succedit, nec ea eijcitur superata per aluum.
Atri nimirum subeunt symptomata succi.
Ergò gelu inducit primò tandémq; rigorem
Progrediens & adaucta, ferox vehementer adauget,
Affligítque ægros, horum velut ossa terantur.
Hos tardi pulsus, parui, raríque sequuntur,
Et lotium tenuis pariter, claríque coloris.
Sæpius autumni generatur tempore. nam tum
Bilis in internis cumulatur partibus atra.
Quarto quoque die neruis infesta recurrit,
Incertas febres, inconstantésque secuta.

Lauiter

Læuiter hac febre affectos tractare memento.
Nam nec magno aliquo medicamine congruit vti,
Quod nigram expurget, ducátque è corpore bilem,
Nec multum vacuare illos conduxerit, id ni
Sanguinis exuperans hortetur copia ſucci.
Præſtare, & tumidam cubiti compungere venam
Cogat, eo in caſu nam ſanguen mittere oportet.
Ergò ſi ſanguis videatur nigrior eſſe
Amplius extrahitur: ſin verò flauior exit,
Mox cohibendus erit, verùm incidiſſe neceſſe eſt
In læuo mediam cubito: ſic exigit vſus.
Optima victus erit ratio, quæ prorſus inanes
Flatus, quæ craſſos ſuccos producere neſcit,
Quæ nec frigidius corpus, nec ſiccius vnquam
Efficit. ergò boni ſint quæque cibaria ſucci.
Apta coqui, & ſuccum minimè generare tenacem.
Quales monticolæ volucres cenſentur vbique,
Quǽq; lacus nunquam putres, nec ſtagna frequentant,
Quin albi & tenuis quadrabit portio vini.
Mollibus initio clyſteribus, vt fluat aluus,
Vtendum, poſt paulò aliquid miſcebitur illis,
Quòd ſit maioris virtutis, quódque videtur
Fortiùs, vt morbi natura vſúſque requirit.
A lenioris enim ſemper medicaminis vſu
Incipies, aliter niſi ſit feciſſe neceſſe.
Vt quoties vis tetra mali crudeliter vrget,
Inducias nobis non eſt ſperare, malúmque
Præcipitat, rapitúrque cilis occaſio pennis.
Mixtura è pipere interdum conduxerit vti,
Aut etiam hoc ipſe per ſe, certíſque diebus
E tenui ſumetur aqua, quæ nempe ſit expers

Terrenæ fæcis, venítque à fonte salubri.
Initio sic fit, verùm infestante vigore,
Victus erit sanè tenuissimus vtilis ægro,
Tempus & in longum requies, qua dulcius ecquid
Esse melancholicis queat, & languentibus ægris?
Quídve optabilius? ô térque quatérq; beati,
Paucos antè dies licuit quibus esse solutis,
Atque in tranquilla compostos pace quiesse.
Interea nos visceribus, splenique decebit
Prospicere, his rebus quibus est mollire potestas,
Et laxare queunt, vt sunt quæcunque farina
Hordi participant apij cum semine, ruta,
Iridéque, aspleno, trito pariterque cumino,
Capparide, althææ radice, & semine lini.
Posthæc conuenient lotium quæ ducere possunt,
Exceptis nimiùm siccis, calidísque potenter,
Humores ne commoueant in corpore crudos,
Si qui forsan adhuc superent, splenémque fatigent.
Ast vbi conspicuis patuit concoctio signis,
Tum medicamentis bilem ducentibus atram
Vtendum, repetésque isthæc, si postulet id res,
Sæpius, vt tota morbum ab radice reuellas.
Ventre repurgato, multùm theriaca probatur,
Concessa vnius duntaxat pondere dragmæ,
Aut gemini tantùm scrupi, pro ætate, minúsve,
E'que cyrenaico constans mixtura liquore,
Hæc totum penitus morbum diuellit & aufert.
Initio morbi, quicunque vel ante vigorem,
Isthæc ægrotis incauta mente propinant,
Infortunatos cruciant crudeliter ægros,
Infamántque ea, quæ studio longæua vetustas

Repp

Repperit assiduo, longóq; probauit ab vsu.
Incrudescit enim vitium, & generatur ab vna
Sæpe duplex, & sæpe triplex quartana, priore
Peior & efficitur plerunque nouissimus error.
Carnifices nostra hæc ætas patietur auaros
Semper, & à doctis inuentis rebus abuti,
Insidiásque feros humanæ tendere vitæ?
Dum per sæua orco plures medicamina mittunt,
Lurida, senta situ, grauè olentia, vera venena,
Nimirum vndenos sæpe asseruata per annos,
An tanti sanguis, corpúsque, & viscera constant?
Veh miseris, potuere alio ditescere pacto,
Et quæstum fecisse sibi, si tanta cupido
Torquet auaritiæ miserabile pectus eorum.
Sarciri nam præda potest ouiúmque boúmque,
Et toties armenta viris reparantur equorum.
Ast vbi menbrorum excessit compage solata
Mens hominis, non arte potest reuocarier vlla.
Hinc sed auara abeat, gens hinc indocta facescat.
Hostis naturæ, vitæ, humanǽq; salutis.
Quippe malis loquor, atque viros excludo fideles.
Haudque velim verbo quenquam offendisse bonorum,
Sed reuocare malos à tristi cæde dolentum,
Atque auidas animas cohibere, manúsque rapaces.
Hæc mens, hic animus, ne quis mea dicta retractet.
Conferet hoc ægri si hypochondria foueris vnguem:
Capparidum, anthemidis, lili, linique oleorum
Ana duas capies dragmas, rutæq;, apiique, &
Iridis ana vnum scrupum, paríérque cumini,
Cum molli cera misce formetur & vnguen.
Vt bilem fieri putrem contingit vtramque,

Sic extrà venas putret pituita frequenter,
Fitque ἀμφημέρινος vulgato nomine Grayis,
Febris quaque die repetens, discrimine nullo.
Æquè pauperibus siquidem, locupletibus æquè,
Æquè neglecta infesta est, niuémq; senique.
Hanc non difficile est cuiuis deprendere febrem.
Initio siquidem minimè sociata rigori
Inuadit quenquam, progressu nanque dierum
Frigiditas ægros potiùs comitatur, & angor,
Quàm soleat noxæ esse rigor patientibus iisdem.
Non gelidas hominem poscunt qui porrigat vndas,
Qui salicis frondes, sempérque virentis oliuæ,
Pampineósque domi ramos, pulchro ordine ponat,
Aut currentis aquæ riuos inducere tentet,
Vt quidam faciunt in febre à bile profecta,
Ignibus inflammatur vbi feruentibus æstas,
Aridáque expandit febris per viscera flammas.
Curare hanc febrim recta ratione volenti,
Oximel in primis præscribere ritè diebus
Conueniet, quando crassos simul atque tenaces,
Corporis humores inciditque, extenuátque.
Quin etiam illa quibus lotium rectéque cietur
Debent præscribi, in summa conduxerit vti
Rebus iis, quibus est vis incisória, quæque
Extenuant: victus ratio hæc languentibus esto.
Sed clystere priùs purgata lauiter aluo.
Isthæc iure quidem & merito peragenda putato.
Interea summo morbi impendente vigore,
Póstque statim, stomachi ostiolo, ventríque cauendum,
Absynthino oleo, lentiscinóque vocato.
Quod si quis malus in stomachum delabitur humor,

Hunc

Hunc etiam vomitu eÿciet quicunque laborat,
Sentiet & magnum vacuata fæce iuuamen.
Nonnunquam medicaminibus quoque conuenit vti,
Magna vbi congeries corrupti in corpore ſucci eſt,
Vt ſenſim & tutò pituitam educere poſſint,
E` toto donec pellatur corpore morbus.
Sic amphimeri non febrem tractare licebit.
Aſt in ſpiritibus ſimul ac humoribus ipſis
Hectica non ſolùm febris conſiſtit, agítque,
Verùm etiam ſolidis in partibus omnibus hæret
Corporis, vtq; habitum totas comprendit, habétque,
Non hominem premit illa ſuum, non afficit illum
Vnquam crudeli quouis rigidóque dolore,
Partibus inducítve æſtum, menbríſve calorem,
Quod ſaltem ſciat ægrotans, aut ſcire laboret.
Nanque doloris ea expers eſt, magníque caloris
Haud dubiè, vt minimè patiens febrire putet ſe,
Cum ſint calfactæ partes æqualiter omnes.
Iſtius generis febres ratione modóque
Gignuntur duplici, vel enim ſuccedere ſuerunt
Febribus, immodicè corpus quibus omne caleſcit,
Vt ſunt ardentes, quæ ſæpe in corpore tantùm
Temporis edurant, vt ſuccum in corde frequenter
Contentum abſumant, vel adhuc plerunque madoris
Humoríſque boni ſalua nunc parte manente.
Quæ vero generantur adhuc conſtante liquore,
Ac ſucco. vt primùm corpus rapuêre, ſinúſque
Totius cordis, totum inflammatur & ardet.
Haud ſecus exili funis maceratus oliuo
Semper in accenſâ fit ſiccior igne lucerna,
Donec langueſcens pereat cum fomite flamma.


Hectica & hæc ſanè prima eſt generatio febris.
Fit reliqua illa ſtatim, ſi quando inuaſerit, hiſce
Initio aſſimilis videatur febribus eſſe,
Quas lux vna quidem gignit, ſed ſoluit eaſdem.
Nempe vel immodico è ſolis feruore, vel ira,
Aut exercitio nimio, aut mœrore profecta.
Ardua res igitur non eſt medicarier ipſi.
Quæ verò in tabem marcorémve incidit, vllis
Non medicamentis, nulla reparabilis arte eſt.
Haúdque eſt difficile hanc deprehendere. concaua nāq;
Lumina ſunt, hæréntque obtutu ſemper in vno,
Arida frons, circúmq; cutis diſtenſa, genæq;,
Squalidus & vultus, collapsáque tempora, & ambæ
Apparent veluti nares patientis acutæ.
Quin & vitalis flos hinc euanuit ille.
Ecquid enim præter neruos, corium, oſſa, cutímve
Æger habet? nam ſi ventrem conſpexeris imum,
Ex inteſtinis nullum ſupereſſe putabis,
Nullum è viſceribus. quin & præcordia ſurſum
Conuelli videas, totúmque areſcere corpus.
Languidus & tenuis pulſus, durúſque, frequénſque,
Et calor obſcurus primùm tangentibus eſſe
Sentitur, ſed paulò pòſt ingratus & aſper.
Erodentis enim ſpeciem præferre videtur.
Quid multis? Donec ſucci (quicunque ſit ille)
Sanguinis aut aliquid ſuperauerit, hectica febris
Dicetur, ſed vbi nimium ſupereſſe videtur,
Nos tabem, nos marcorem, nos eſſe μαρασμὸν
Hanc, omnes veluti Graij dixêre, feremus.
Hectica quos febris rapuit tentátque. ſtatim ipſo
Initio, propter mordacem in corpore ſuccum,

Nutrire

Nutrire expediet. Ratio proin victus ea esto,
Quæ humectet. fuerit scopus hic, ea summa medenti.
Congruit in primis igitur ptisanæque alicæque
Læui succo vti. & madefacto pane mederi
Omnibus, & gelido potu mediocriter hausto,
Ni putres multi lateant in corpore succi,
Nec quædam obcessa extiterit pars phlegmone iniqua,
Ex his quandoquidem multum pendere pericli,
Si timeas, gelidæ expediet caruisse liquore.
Deforis ex vsu fuerint epithemata, queis sit
Insita frigida vis. sed & hæc mediocria sunto
Omnia. nam rerum mensura est optima. Quòd si
Vsus balineis fueris, mollíve lauacro,
Ægrorem facies gratam, corpúsque iuuantem.
Contulerint siquidem quouis in tempore valde.
His attentabis febrim emendare, priusquam
Tota μαρασμώδης, & prorsum tabida fiat.
Nanque senectutis mortales more resoluit,
Ariditas etenim menbris vehementer inhærens
Perpetuò increscit, corpúsque arescit in horas,
Radicali omni pereunte in corpore succo.
Atque hæc simplicium summa est, nos vnde frequenter
Compositas fieri febres plerique videmus,
Quas nisi quis rectè teneat, deprendere mixtas
Haud poterit, multóque minùs medicarier illis.
Ergò necesse erit in primis quòd quisque laboret
Noscendis in simplicibus. sunt nanque priores
Omnes hæ febres, hominésque frequentiùs vrgent.
Dignoscíque citò poterunt ex antè relatis,
Ad quarum normam reliquas expandere par est.

FRANC

FRANCISCI BOVSSVETI SVRREGIANI DE ARTE MEDENDI LIBER DVODECIMVS.



LVMINIS aetherei, & vsti dominator olympi,
Excelsi qui cuncta vides è culmine cœli,
Bellorúmq; graues hoc nostro tēpore motus
Omnem grassari funesta sorte per orbem,
Numine, quæso, tuo sancto præcordia plusquam
Bruta hominum, in melius referas. fontémq; bonorum
Omnigenum iubeas terris reuirescere pacem.
Illa etenim satis vna diu nos mœsta reliquit,
Suspectasq; habuit terras, vadáq; aspera Neræi,
Barbaricis hominum plusquam turbata ruinis.
O adsis, celsóque animis illabere cælo,
Vt possum licèt indignus, mirabile numen
Sæpe tuum imploro, tua sit si ferre voluntas
Suppetias misero, & fessis succurrere rebus.
Vsque adeo sine te nihil est quod posse putârim,
Esse diu validum ac firmum sanctúmve, bonúmve,
Te sine mollimur mortales omnia frustra.
Sanguineum Mauortis opus, bellúmq; cruentum,
Fac finem capiat, cesśétq; ac concidat, vnde
Tot, tantáq; mali species, tot funera terris
Proueniunt diráque luis contagio. quæ sit
Per totum penitus regnat sæuissima mundum,

Prosternítq;

Prosternítq; omnes homines, iuuenésque senésque,
Ac si fregisset vincla infernalis Erymnis,
Laxatísve ferox miserè grassetur habenis.
Tantorum finem da rex ô magne laborum.
Da genti humanæ pulso requiescere Marte:
Spiculáque immanis vitasse crudelia pestis.
Vt vitæ per te fructus, auréмq; salubrem
Percipiat verè mens sana, in corpore sano.
Nos tua si virtus, tua si diuina voluntas
Adiutet, præstóque adsis, nonnulla reponam,
Omni quæ populo, duce te, prodesse valebunt,
Te sine contulerint præcepta salubria nunquam,
E' morbis sine te poterit reualescere nemo,
Nullus lethiferæ pestis vitare sagittas.
Ergò adsis, viré sque meis conatibus addas.
Omnis ab infecti pestis putredine pendet
Aëris, hinc cum sit per cuncta meabilis aër:
Maximè & è cunctis nobis commune elementum,
Inspiratus ob id quæuis animantia lædit:
Præcipuè q; homines. cunctis ea publica pœna est.
Imbelles etenim, ac fortes iuuenésque senésque,
Dites, atque inopes, & corda superba potentum
Atterit, offendítq; omnes discrimine nullo.
Armatas non illa acies, mauortiáque arma
Formidat; non & fasces lictoris & enses,
Suspicit aut tyrio bis tinctas murice vestes,
Aut Arabum gazas grauis aut crisendeta Cymnæ:
Prorumpit quacumque via est, séq; impetus egit:
Cunctáque peruadens, miscetur in omnibus vna.
Aëra nam sæpè inficiens, lethale venenum
Infundit terris, oritúrq; miserrima clades.

Sæpius

Sæpius humores propter putere paratos.
Intra hominum ventres & viscera gignitur, vt si
Materiam virus dederit circumfluus aër,
Quantumuis leui id è causa processerit vnum,
Aëre præcipuè verò dependet ab ipso
Infecto & putri, & fœdam quandam velut auram
Spirante. Initium verò putredinis, aut à
Corporibus bello cæsis, miniméque sepultis,
Fœdis aut lacubus, nimiúmque paludibus vdis
Dependet. nam teter ab his sese halitus effert,
Solibus inflammatur vbi grauioribus æstas,
Ingeminátque suos lethalis Syrius ignes,
Pestiferámque afflat miseris mortalibus auram.
Nanque intemperiem cæli plerunque videmus
Immodicè calidam ac vdam, producere febres
Lethiferas, causámque omnis putredinis esse,
Idque magis quoties vitiosi corpora succi
Sunt plena, & tumidis hæret κακοχύμια venis,
Infarcítque hominum ventres, ex ordine longo
Præcedente vda victus ratione maláq;.
Nam quæ temperies, rogo, perniciosior vnquam
Aëris esse potest, quàm quæ iunctam humiditatem
Semper habet cum tristi aliquo nimióque calore?
Heu malè tum miseros defendent mœnia ciues,
Agrestíque tuam in villa solabere vitam,
Vxorem natósque tuos patriámque relinquens,
Omniáque humanæ postpones commoda vitæ.
Nanque procul non pestis erit, nisi magna deorum
Numina prouideant, celsáque è sede fauori
Sint terris, cælíque status, atque aëra mutent.
Initio verò autumni persæpe vagatur

Tetra lues. quòd tempestas ea corpora lædat
Plùs alijs hominum cunctis obnoxia morbis,
Propter inæquales, magnósque ex ordine motus,
Aëris ac propter densós plerunque vapores
A' terra sursum elatos, vnde horrida sæpe
Fulgetra aspicies, diros fieríque cometas.
Nil aliud siquidem miseris quàm dira minantur
Exitia, & tetri nobis contagia morbi.
Adde quòd æstiuo cum languida facta calore
Corpora sint, facilè autumni sub sydere morbos
Incurrant, promptéque fera contage premantur.
Huc ratio accedit victus peruersa, & inepta,
Qua plerique vsi sibi putris materiei
Vim magnam acquirũt. nam quando hoc tẽpore fruct⁹
Dat varios tellus, inopum se maxima turba
Effundit super hos, ventrémque infarcit & implet,
Accersítque sua sibi causam sponte malorum.
Qui verò rectè viuunt epulísque fruuntur
Euchimi succi, fructus linquúntque fugaces,
Nec plures venas succo stomachúmque saburrant,
Sæpe superuacui immunes humoris ij nil,
Aut modicum accipiunt noxæ, corpúsque subinde
Se facilè exoluit, si quæ illi iniuria venit,
A' naturalíque habitu non longiùs vnquam
Abcedit, causámque vnam solam esse putato.
Cur plures misera non tangi peste videntur,
Percurrúntque alacres totius tempora vitæ.
Pestifera verò hisce notis iam febre prehensum
Cognosces, si post aures, ínque inguine & alis
Apparet bubon, reliquis vel partibus antrax,
Aut carbo exoritur, nulla ratione mouente hac,

Quæ manifesta sit, aut credas extrinsecus ortam.
Ast vbicunque tamen sese apostemata produnt,
Naturam fortem esse notant, adeóque potentem,
Extra vt sufficiat partem eduxisse, locósque
Affectos signant. protruditur vnde venenum,
Nam si colla tumor, retróve apprenderit aures,
Præcipuè offendi cerebrum, si contigit alis
Cor, sed si vnguinibus iecur affectum esse notabit.
Quod si se nobis non apostemata prodant,
Languida naturæ multum vis significatur,
Quæ tetrum nequeat de corpore pellere virus,
Perniciémq; ægris ideo, mortémque minatur.
Interna siquidem remanens in parte venenum
Sæuit: & aggreditur miseræ penetralia vitæ,
Et sustantifici sedémque arcémque caloris
Oppugnat. fundo tentans euerte ab imo.
Tunc aliis opus ergo notis erit vnde patescat
Tanta tibi feritas, tanta inclementia morbi,
Hostis vti clàm per venas, pérque intima grassans:
Quãuis sæpe palàm, latéque vagetur & erret,
Haúdque latere diu valeat séque exerat vltró.
Pestiferam siquidem febrem, vastissima quæque
Vrgendo indigitant, in ea symptomata nanqu
Confertim ac subitò eueniunt. deliria. spasmi,
Et vomitus crebri, & bilis deiectio amaræ,
Interni ardores, & toto in corpore crebræ
Punctura, & grauitas capitis. sudórque, dolórque
Auxius, ariditas oris, combustáque lingua,
Aspira sitis, magna ni somnum propensio, fœdæ
Vrinæ, nigræ, tenues, flauæ, vel aquosæ,
Istiúsque modi pestem complura sequuntur.

Quod

Quod si venturam quisquam præuiderit esse,
Tempora nimirum mala, perniciosáque valdè
Contemplans, & quæ miseris mortalibus absint,
Armenta & fato pecudes obiisse sinistro,
Illud & expendat, par est, secúmque requirat,
Quæ studia atque status hominum, quæ ventilet aura,
Quale sit & præsens tempus, totius & anni.
E' quibus in promptu fuerit quæ debeat esse,
Et qualis ratio victus seruanda sit omni
Colligere, vt verbi causa, si siccius esse
Nunc quod oportebat tempus, iam humectius æquo
Sit factum, victus fuerit ratione necesse
Mutare ad siccum, quò vis humoris inepta
Siccetur, consumatur, nullúmque molestet.
Quin adhibenda etiam ventri est tibi sedula cura,
Vt si ventriculum lædat pituita, vomatur:
Si sanguis superet, cubiti de parte trahatur.
Conferet & totum corpus purgasse frequenter,
Pérque vreteres lotium duxisse, parato
Ex radice apii, maratríque, asparagíque
Decocto. Quod si febrem iam sentit acutam
Languidus, & totum thoracem obsederit æstus:
Hinc fuerint admota quidem frigentia, opinor,
Ex vsu sed quæ pectus non lædere possint.
Haud alienum etiam fuerit descendere ad haustum
Fontis aquæ, nec paulatim hanc offerre bibendam,
(Incendit siquidem vehementiùs) at confertim:
Vt velut extinguat flagrantem in corpore flammam.
Sin verò interno patiens ardore prematur:
Atque superficies cutis extima frigeat omnis,
Et contendantur validè præcordia, ventrem.

Exonere

Exonerent vomitus, ſimul & deiectio praua:
Cura vigil, mœror mentem deliria vexent,
Scabritiéſque adſit linguæ, totius & oris.
Tute calorificis opus eſt vtare medelis,
Vt calor immodicus corpus fundatur in omne,
A'dque ſuperficiem centro educatur ab imo.
Tum ſiquidem minùs offendet vitalia virus
Diſparſum, & veluti in varias per corpora partes
Proiectum. vtendum interea medicaminis hauſtu,
Quod geminas aloë partes, ferulâque liquoris
Æquales recipit, partem tantummodo & vnam
Selectæ myrrhæ, generoſo excepta Lyæo
Miſceto, conſeruato, vel eo vtitor vno
Quoque die, antè plaga radiet quàm Phœbus Eoa,
Dimidij quantum cyathi menſura requirit.
Hoc medicamento nihil eſt præſtantius, atq;
Haud ſcio ſi quis eo peſtem non fugerit vſus.
Hæc breuia & ſanè præcepta ſalubria multùm
Iugiter in firmo & memori ſint pectore fixa.
Ipſam nunc primùm expediam rem planiùs omnem:
Quando itaque ex ſuprà poſitis certiſſima ſigna
Apparent, & peſtifera quis febre tenetur,
Sanguis erit vena extemplo mittendus aperta
E'latere, vnde quidem bubo, séque exerit antrax,
Cum nihil obſtiterit, nec ſit vis debilis ægri.
Ergò ſi capite & collo vis illa veneni
Erumpens, séque attollens extuberet, ipſa
Ex cubiti vena ſanguen nos mittere oportet,
Eiuſdem ſemper lateris. Si fortè ſub alis
Sit vitium, interior venit tibi vena ſecanda,
Aut vbi non illa apparet mediana, in eodem

Perpetuò

Perpetuò latere, imponas ne turpiter ægris,
Infandum acceleré\sque necem Sed in inguine bubo
Exoriens, ex malleolo monet esse trahendum
Eiusdem partis sanguen. Si nullus in omni
Corpore se prodat bubo, de parte trahemus,
Maior vbi dolor est, grauitas vbi peior adhæsit
Affectus, qualémque seces monstrabitur illis.
Partibus affectis in corpore quippe supernis,
Vena humeri. sed iis quæ infrà sunt colla, capútque,
Interior veniet vena, aut mediana secanda.
Partibus infernis aliqua grauitate prehensis,
Malleoli, aut certam feries in poplite venam.
Si verò certa motus ratione ferire
Formides venas, sanguénque educere tute,
Auxiliis aliis poteris leuioribus vti.
Quod tamen ignari quidam contemnere suerunt,
Dum non aduertunt morbi symptomata, dúmque
Non ægri expendunt vires, caussásque malorum
Internas, aut externas, nec dicere possunt.
Inter se quantum distent ipsa erua lupinis.
Ergò si fuerit sanguen traxisse negatum,
Sæpe cucurbitulas dorso fixisse licebit
Igniferas, & sæpe humeris, & sæpe dolentum
Cruribus, hoc pacto corpus vacuaueris ipsum.
Mox medicamentum natum superare venenum
Præscribes, quod nimirum reuocétque, trahâtque,
A cordis sinubus virus, vincátque trahendo.
Quale quidem paulò nos commemorauimus antè
Ex mente & Pauli, & Ruffi, & qualem esse Galenus
Credidit Andromachi antidotum qua sæpe vetustas
Vtiliter nostra, & veterum de more iuuentus

Vsa fuit, contra pestis sæuissima tela,
Esse nihil melius, nihil hac præstantius vna
Dixerunt, adeo, vt quibus hæc nil profuit vnquam,
Sublatos omnes indigna morte putârint,
Vt qui nullo alio medicamine sint adiuti,
Antidoti tanta est virtus, & tanta potestas.
Quin eadem ad complura alia est accommoda valdè.
Virus enim contra omnigenum exitiale ferarum
Vtilis est, hydri siquidem scytalésque medetur
Morsibus, ínque canis rabiosi vulnera confert,
Vespæ puncturis & pensa trahentis Aragnæ
Auxilio est, subitóque illas emendat & aufert.
Quin & vipereos ictus, dirique cerastæ
Aduersum theriaca stetit, virúsque resoluit.
Stellio nil, scolopendra nihil, cancríve marini,
Scorpióve officient, vel ijs si maxima tellus
Peius habet, vel monstrigeri vada cærula Nerei,
Insignis fuit vna quibus medicina fauori,
Séque aliquis firmis theriacæ insigniyt armis,
Asthmaticis, capitísque doloribus inueteratis,
Antiquæ tussi, attonitis, lippis, resolutis,
Amissæ voci, eiicientibus ore cruorem,
Cœliacis, colicis cruciatibus, ictericísque,
Infirmo stomacho, & lateri medicatur anhelo,
Vesicæ prodest læsæ, fit grata lieni,
Promouet & lotium, & renum deducit arenas,
Horrificásque iuuat febres, placátque rigentes,
Hæc elephansiasi, tympanitique frequenter
Præsidio fuit in præsens, morbósque remouit,
Articulósque graui absoluit plerunque dolore.
Sæpe etiam exanimem fœtum cum mensibus egit.

Quid multis? mihi iam pulmo, mihi deficit aura,
Huius ἐνεργείαν, dum vim, viresque renarro.
Amplius hoc vnum sed præcedentibus addam,
Quòd non corporibus solùm sit nata mederi,
Verùm etiam morbis animi grauioribus adsit.
Nanque melancholiam sanat, curátque phrænesim,
Pestiferáq; lui prodest plùs omnibus vna.
Ergò sumpto aliquo nato medicamine virus
Pellere, mox calidum in lectum de more paratum,
Munitúmque probè, ægrotus sua menbra reponet,
Vt desudet ibi totus compluribus horis.
Ægrè quod si fit, lateres teguláſve calentes
Curabis pedibus patientis subijciendos,
Hac ratione quidem sudores elicientur.
Intereáque nocet dormisse, bibisse, vel esse,
Hinc sudoris enim fieret reuocatio. nanque
Spiritus atque calor per somnos interiores
In partes retrahunt sese cum sanguine, quo fit
Corporis exanguis pars extima conspiciatur,
Frigida, sitque superficies plerisque videnda.
Quin post sæpe cibos etiam frigescere menbra
Conspicias, multísque manus algescere vtrasque,
Atque rigere pedes, his & confinia crura.
Illo igitur toto quo sudet tempore, vitet
Præcipuè hæc patiens, somnum timeátque diurnum
Incidere. à sudore autem velamine puro
Inuoluendus erit, ne quid tum sordiciei,
Ne quid strigmenti, retrimentíve supersit.
Exin è lecto possit si surgere, surgat,
Aëráque externum fugiat, suffitibus autem
Sæpius vtendum è rebus fragrantis odoris,

Quales sunt mastix, nux & moschata, macirque,
Thus, myrrha, & ladanum, cariophylus, aggalocúmq;,
Iuniperus, cortex citri, cortéxque cupressi,
Saluia, cinamalum sampsucum, absynthia, laurus,
Rosmaris, & diris contraria ruta venenis.
Suffimenta ex his, ex his θυμιάματα fient,
Imponenda igni, clausis tamen antè fenestris,
Ne subitò vapor omnis eat resolutus in auras.
Accipe ligni aloës, moschatæ, cinnamatíque
Ana duos scrupulos, lentiscinique liquoris
Tantundem, ac thuris, rutæ, rorísque marini
Ana duas dragmas, maioranæq; manipli
Semissem, fiat puluis tenuissimus ex his.
Iuniperi grana & frondes carbonibus ipsi
Imponent inopes, & laurum, rosmaridémque.
Ast ne deficiant vires patientis, oportet
Euchimis nutrire cibis, & suauibus illum,
Gallorum veluti pullis, commercia nondum
Qui Veneris nôrint, assis, rectéque paratis.
Iuscula quin etiam valde laudamus eorum,
Sunt quibus euulsi toto de corpore testes.
At nulli dubium esse puto, quin debeat addi
Oxalidis quicquam prædictis, omphaciíque.
Vel citri mali succi, quod & ipsa venenis
Obsistunt, gratúmque cibis dant sæpe saporem.
Hoc tamen æterno maneat sub pectore fixum,
Pluri epulo semper stomachum satiare cauendum.
Nanque comesse quidem confert, & sæpe bibisse,
Sed modicum. Quod si sitis infestauerit ægrum,
Serapio è violis, citri succóque parato,
Intybo & hortensi veniet cohibenda, acidóque,

Cum

Cum decocto hordi scabiosǽque, oxalidísque,
Atque alijs, quæ cordi etiam prodesse valebunt.
Nam cum sit toto pars hæc in corpore princeps,
Huc operam in primis omnem, studiúmque locabis,
Illius vt validæ perstent cum pectore vires.
E' buglosso igitur pimpinelláque, rosísque,
Sacara præscribes, & acetosa, violísque
Confecta, vt lapsas vires reparare potis sis,
Febris & immensum putris lenire calorem.
Quamuis non æstu vehementes esse putârit
Pestiferas febres, medicorum maximus ille,
Omnia qui fusè præcepta salubria scripsit,
Romanáque olim medicinam fecit in vrbe,
Magno cum fructu, & mira cum laude Galenus.
At plerosque tamen quoniam malè conficit æstus
Ingens temporibus nostris, ἐπυθήματα cordi
Sæpius admota extiterint patientibus è re,
Rebus ijs conflata, quibus vis illa caloris
Placatur, citra quam quòd pectúsve, iecúrve,
Nec stomachum lædant hæ, nec thoraca fatigent,
Sed potiùs prosunt, & vires omnibus addant.
Huius sortis erunt epithemata facta rosarum è
Buglossi, endiuiæ, oxalidis, violæ'que liquore,
Miscendo antidoti è gemmis aliquid specierum,
Mali aliquid citri, ceruini cordis & ossis,
Adde croci modicum, adde rosas, & santala dictis.
Illuc interea expediet deducere virus,
Pestifer vnde quidem bubo, séque igneus antrax
Extulerint, sæpe affixis, & sæpe refixis
Igne cucurbitulis multo feruentibus, atque
Parti iterum atque iterum fixis, traxisse venenum.

In quem conuenient vsum medicamina, queis est
Insita vis ingens quædam, virtúsque trahendi:
Præpingues ficus numero sex accipe & vuæ
Passæ bis dragmas geminas, mellisque salisque,
Fossitij ana duas, oleo excipiantur anethi,
Lili aut Anthemidis parti emplastrúmque locetur.
Hocæquè validum, fuerítque parabile cunctis.
Accipito ex ipsis fuerit quæ maxima cæpis,
Et capite ablato magna pro parte cauato,
Et totam Andromachi theriacæ impleto, deinde
Adiecto huic succo rutæ, obturato, statímque
Sub prunis coctam terito, partíque locato.
Hunc diachylum etiam simplex conducit in vsum.
Galbanum item, necnon ferulæ gummíve, liquórve.
Educunt siquidem toto de corpore virus,
In partémque trahunt læsam, prosúntque trahendo,
Hácque tumor ratione in pus, saniémque mouetur.
Quòd si sponte sua iam non abrumpitur, & nil
Effluit, aut ferro expediet pungatur acuto,
Aut fimus anseris è vetere resolutus oliuo,
Antraci vel buboni mox admoueatur.
Atque hæc de cura illorum qui peste premuntur,
Sit dixisse satis. Nunc qua ratione, modóque,
Immunem vitij possimus ducere vitam,
Nec sensisse luis diræ crudelia tela,
Simus & omnigena pestis contage soluti,
Expediam, modo tu placidas sermonibus aures
Admoueas, quos a doctis persæpe magistris,
(Ecquid habemus enim quod non accepimus omnes?)
Leucecia atque alibi audiui iuuenilibus annis,
Nimirum eximiè doctorum sæpe virorum

Doctrina

Doctrinæ asserui memet penitúsque dicaui.
Quòd si qui iuuenes nostra illa ætate fuêre
Informatores nacti virtute potentes,
Nos & Parisijs, alibíque frequenter ad illos
Venimus, ardenti rerum agnitionis amore,
Fernellum, Acaciam, Marjenúmque, Holleriúmque,
Rondletum, ingenióque grauem Schyrona, Saportam,
Téque vnum ante alios Sylui doctissime, quando
Voce licèt rauca, Triquetra auditoria mulces,
Et schola tota tuo veluti dependet ab ore.
Sed quis te tacitum sinat, aut velit esse relictum,
Ætatis nostræ cunctorum maxime Fuchsi?
Vnáque nobilium medicorum gloria? quantum
Clara Tubynga tibi, tibi totus debeat orbis
Terrarum, facilè hi nôrunt, qui téque tuásque
Iugiter, ínque dies, classémque domósque frequentant.
Nocturnis etenim studijs, tu voce diurna
Amplificas artes, Medicinam attollis & auges,
Implesti íque tuis latum virtutibus orbem,
Vnde tibi magnúmque decus laudésque manebunt,
Dotibus ingenij cum te natura beârit,
Doctrinam ingentem studiúmque, labórque parârit,
Quæque valet multum humanis industria rebus,
Eia age, perge omnis medicinæ absoluere cursum.
Prima feres hederæ victricis præmia lauri,
Nectemúsque tuo capiti de fronde coronam.
Sed nos incœptum peragamus. Quando itaque ex his,
Quæ supra satis a nobis sunt dicta, patescat
Ex inspirato putri, fœdóque frequenter
Aëre pestiferas humano in corpore febres
Produci, nihil hoc præstantius esse putârim,

Nil melius quàm quòd citò nos longéque abeamus,
Atque reuertamur tardè, ratione licebit
Promptius haud alia, vitiati incommoda nobis
Aëris effugisse velis nolísve, necesse est,
Aeriam inspires motis pulmonibus auram,
Qualiscunque fiet semper. Qui fugerit, ille
Liber erit, modò partem adeat telluris amœno
Perflatam Borea, Zephyríque salubribus, atque
Distantem à stagnis, nimiúmque paludibus vdis,
Degat vbi lætam tristi pro tempore vitam,
Quantumcunque potest, & quantumcunque licebit,
Conuentus, cœtúsque hominum, & conuiuia linquens.
Nanque malum plerunque virum consortia gignunt.
Serpit enim misera quadam contage venenum,
Pérque hominũ pecudúmque, per et genus omne animantũ,
Pérque etiam arboreos fœtus, satáque omnia sæpe.
Totum sæpe pecus morbosa infectat ouile,
Obsunt vicinis, si putrida poma propinquent,
Contrahitúrque statim vitium putredinis ingens
Omnibus, aspectúsque nocet, læditque frequenter
Vel solus, visáque vuæ vitiantur ab vua.
Prætermitto lubens etenim, quæ plurima sæpe è
Corporibus veniunt ægris, eadémque frequenter
Omnibus officiunt rebus quibus illa videntur
Hæsisse, aut ipsis tantùm vicina fuisse.
Omnia quæ tecum tacita sub mente volutans,
Ipse velim expendas, quænam sit vbique malorum
Materies, cum sibi sint plurima noxæ
Inter se, occultáque gerant in parte venenum.
Serpit enim latè omne malum, ni viribus illi
Occursum humanis fuerit, nisi sedula cura

Proui

Prouideat præstétque manus medicina salubres.
Ergò quantumcunque potes, quantúmque licebit,
Aëra pestiferum fugias, penitúsque recedes,
Ne tibi funesta quisquam sit noxius aura.
Quòd si certa aliqua nequeas ratione coactus
Pestifero cessisse loco tibi maxima cura
Aedes sit purgare tuas, clausísque fenestris,
Plurima flammiuomo committere ligna camino,
Iuniperi grana & frondes, rorémque marinum,
Et rutam ac laurum crepitantibus vrere flammis,
Sãpsucúmque etiam expediet, tymbrámque, thymúmq;
Vulcano siquidem fuerint tibi commoda ab vno:
Tum quod & exhilaret frontem, mentémque serenet,
Tristitiámque omnem de corpore cedere cogat,
Tum quòd & vnus purificet plus omnibus ædes,
Sed nisi perpetuis tibi conciliabis amicum
Officijs, quantóque datum plus videris ille
Tantò plura etiam claudus quæsiuerit abs te,
Prodigus ipse sui semper, rerúmque suarum:
Ast aliena petens, nusquam satiatus edendo,
Vsque adeò, vt sibi, nílque alijs, plerumque relinquat.
Attamen humanæ faciens ad plurima vitæ
Munia, quæ prolixa forent memorare volenti.
At dicam hoc solum, quòd aëra sæpè salubrem
E putri efficiat, tetram absumátque vaporum
Materiam, quòd & horrificæ crudelia pestis
Sæpè venena coquat, rapidóque absorbeat ore.
Hunc in suffimenta vsum conducere possunt.
Quæue tibi paulo thymiamata diximus antè,
Suauibus è multùm conflata & rebus odoris.
Nonnunquam admixtis etiam grauioribus ijsdem.

Interdum quoque frigidioribus aëra rebus
Depurare decet, quoties incanduit æstas,
Vt sunt nymphææ flores, violǽque, rosǽq;,
Santaláque, & validum spirans tibi caphura odorem.
Quin etiam euulsos ramos è vite virentes,
Aut salice, aut marra frondes è quercubus actos
Expediet sparsisse domi tiliámque oleámque,
Pérque solum interea latè diffundere acetum,
Et stillatitios rumicísque, rosǽque liquores.
Pauperibus gelida non absonus vsus ab vnda
Extiterit, siue hanc etiam fortasse propinent,
Siue etiam totam irrorent terrámque domúmq;.
In primis ea sit tibi cura & sollicitudo,
Omnigenæ vt possis exors putredinis esse,
Téque nihil lædat tetri contagio morbi.
Omne superuacuum toto de de corpore manet,
Et rectè corpus spiret, potúsque cibíq;
Cuncta superfluitas penitus vitetur & absit.
Ecquid enim magis hisce nocet mortalibus ægris?
Promptiùs inducátque homini genus omne malorum?
Plures illecebræ siquidem gulá que ingluuiésq;
Prostrârunt quam vel gladius, vel acuta bipennis.
Ergò sit facilis coctu cibus omnis oportet,
Quíque minùs possit putrescere: semper aceti
Admisceto aliquid succi citri omphaciíve.
Gratior hoc semper fueritque salubrior. æstus
Tempore, buglosso, andragne, lapathóque licebit,
Lactuca, ínque ıybis vti, sed tempore brumæ,
Serpillo, sampsuco, apio, hyssopo, atque cunila,
Istiúsque modi è multis sunt iura paranda,
Inter postremas nec erit tibi saluia habenda.

Omnigenos

Omnigenos fructus par est vitasse, sed illis
Demptis, qui constant acido gratóque sapore:
Qualia citria sunt, & sunt tibi punica mala.
Sit tenuis vini potus, clarique & aquosi.
Linque merum, placeán. [illegible]e tibi ne musta videto.
Quid multis? victus ratio refrigeret omnis,
Aut siccet, memori quod erit sub corde tenendum.
Isthuc summa omnis veniet tibi constituenda.
Motu, exercitio liceat mediocribus vti.
Sub cælo valde sudo, valdéque sereno
Et vigilasse iuuat, quantum natura requirit,
Et dormisse ex re quantum satis esse videtur.
Lintea præterea, & totum suffire cubile
Vtile erit, contráque velut munire venena.
E' lecto postquam surrexeris, hæc tibi prima
Cura sit, vt ventrem exoneres, vt profluat aluus,
Atque expurgetur quodcunque superfluit, in quem
Vsum conuenient valde catapottia Ruffi,
Si tres, si quatuor, si sumas pondere dragmæ.
Hinc pimpinellam expediet, rutámve comesse,
Et Zedoariam, & angelicam, quas nomine dicunt,
Moschatámque nucem, atque huius nonnulla farina.
Extra priuatas ædes si conuenit ire,
Naribus ipsam etiam rutam admouisse licebit.
Sunt qui cum ficu pingui, iuglandis & ala
Eiusdem mandi foliorum segmina quinq;
Ieiuno iubeant stomacho, contráque malignum
Aëris externi virus valuisse frequenter.
Nam varius rutæ est vsus multúsque, süeuit
Inter præcipua antidotis miscerier, ipsa
Pro antidoto folijs tritis, sumptísque süaui

E' tenuiq;

E tenuíque mero. nam contra aconita maligna,
Ixónque, & fungos lethales pollet, & ictus
Serpentum, cum se mustelæ bella parantes
Contra illos arment ruta, aduersum salamandras,
Cantharides, vespas, crabrones profuit, unà
Inque ea quæ dira pugnant animalia cauda,
Et quæ de tenui pendent per inane capillo.
Quin rabidi canis ad morsus conducere scribunt
Eiusdem succum, è tenui rubróque Lyæo
Mensura cyathi sumptum, tritísque fuisse
Auxilio rutam folijs cum melle dolori,
Cúmque sale impositis, vel coctis cum pice ijsdem,
Parte tamen tenuis permista, & fortis aceti.
Quid multis? succo illa etiam plerunque perunctos
Omnibus hisce malis tutos seruauit, eam vel
Si solam tulerint, vt quæ nidore frequenter
Vipereum genus vsta suo procùl omne fugârit.
Exiguo est frutex folio, penéque rotundo,
Ac denso, sempérque viret glauco ille colore,
In surclosorum ramorum verticibus flos
Luteus est, niueum producens tempore semen
Inclusum calice exili, grauis vsque sapore,
Semper odore grauis, vulgo notissimus, illo
Vtitor, hic varios totus tibi cedet in vsus.
Balnea cuiuscunque modi vitare memento,
Publica præsertim, Venerem Bacchúmque relinquens
Nempe superuacuos, æquè nam corpora lædunt.
At iuuenes succo pleni sibi tempore veris
Præcipuè ferro venam patiantur acuto
In cubito incidi, si quid timuêre timénda,
Hac ratione quidem salui plerique fuêre.

Et

Et medicamentis ventrem purgasse licebit
Sæpius à nobis dictis, sed tempore verno
Maximè, ob id quòd per totum turgescere corpus
Incipiant succi, corpúsque grauetur ab iisdem,
Interdúmque sua rapiantur sponte per aluum.
Illa eadem nobis autumni tempore fas est
Vsurpare, graues fugiendi nomine morbos,
Qui tunc grassari funesta sorte süerunt.
Quandoquidem malus autumnus, morbísque cruentis
Subiectus, satis hoc nobis apparuit anno
Eius, tanta hominum sublata gente, tyrannis.
Ad motus animi quantum spectare videtur,
Tristitia, ira, timor venient fugienda, vigilq;
Cura, ac anxietas, huiúsque pathemata formæ.
Nanque aliud nisi obesse queunt, & gignere morbum.
Expediet studiis igitur gaudere remissis,
Aut ad festiuas animum conuertere Musas.
Illæ etenim sua commoda habent, sua munera præstant
Plurima, quæ sapiens non aspernabitur vnquam.
Dulcius ecquid enim Musis, quid suauius, aut quid
Castius esse potest, quid lætius, vtiliúsve,
Quódque exercitij genus hoc præstantius vno?
Nam prodesse volunt aut delectare Camœnæ,
Aut vtrumque simul, vel idonea tradere vitæ.
Nec sine re mihi sic Flaccus scripsisse videtur:
Os tenerum pueri, balbúmque poëma figurat,
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis firmat amicis,
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ,
Rectè facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum,

Mœroréma;

Mœrorémque abigit, curásque resoluit inanes.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Diceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit.
Cælestes implorat aquas, docta prece blandus
Auertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine Dij superi placantur, carmine manes.
Si libros igitur placeat tenuisse, legatur
Ille meus vates, vates bonus ille. Legantur
Qui mentem exhilarent, qui tristia cuncta resoluant.
Qui curas abigant, & pulsent tædia vitæ.
Hoc verò à pestis contage tuebitur omnes.
Sume aloës geminas partes, myrrhéque, crociq;
Partem vnam, cum vino albo pilulæ tibi fiant.
Vtitor his quacunque die, si postulat id res.
Pimpinellæ aliquid possis his iungere, rutæ,
Armeniáque boli, ex alijs aut omnibus vnum,
Si lubeat, quæ sint tetræ contraria pesti.
Armeniæ siquidem terræ sit quanta potestas
In pestem, satis edocuit fidissimus author,
Ac testis locuples vir summus in arte Galenus.
Hoc medicamentum siquidem quicunque biberunt,
Romana pestis cum grassaretur in vrbe,
Illos curatos confestim retulit esse.
At quibus haud est concessum medicamen, ad vnum
Interiisse omnes, alio medicamine nullo
Nimirum adiutos. Hæc sunt quæ è fontibus hausi
Magnorum sanè, bene doctorúmque virorum,
Iudicio monstrante viam, tu fronte serena
Cuncta lege, & nostræ noli grauis esse Thaliæ.

Viue vale & si quid nosti præstantius istis,
Candidus imparti, si non, his vtere mecum.


FINIS.

ERRATA.

Fol.17. lin.17 pro qua lege quę. 19,28 fusco. 20,12 prudenter. 22.12 odoræ. 25.9 Phagineæ'que.27.9 temnimus. 31,14 Anthemidinum. ibidem 19 semperuiui. ibid.27 Anthemidisque. 34, 21 suffuderis 39,29 Perdicij. 40.27 carie. 42,30 vnum. 44,16 decet. 84,18 pheu. 106.omissum est carmen sequens,quod erit huius paginæ primum,

Mille volubilibus se nexibus arctat in orbes,

106,1 dente. ibidem,10 sudores. 152,30 æger.


380
3

Bousset
Med Gen